This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

302
V.70
Stack

3028779676

~~XXIX. F 21~~
~~X. E.~~

Digitized by Google

675 -f-

Digitized by Google

Digitized by Google

SIPPSALL & SON NORTHAMPTON

Digitized by Google

Digitized by Google

STUDIA PALAEOGRAPHICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

STUDIA PALAEOGRAPHICA.

SCRIPSIT

I. C. VOLLGRAFF,

PHIL. THEOR. ET LITT. DOCTOR.

LUGDUNI-BATAVORUM,

S. C. VAN DOESBURGH.

MDCCCLXXI.

Digitized by Google

EX TYPOGRAPHEO I. C. DRABBE.

Digitized by Google

ARGUMENTI DISPOSITIO.

Pag.

AD LECTOREM . . . . . 1.

CAPUT PRIMUM.

DE MALE CONTRACTIS ET DISTRACTIS, DE DITTOGRAPHIIS ETC. . . . . 13.

CAPUT SECUNDUM.

DE ERRORIBUS ORTIS EX VITIOSA SEQUIORUM PRONUNTIATIONE . . . . . 25.

CAPUT TERTIUM.

DE SCRIPTURA UNCIALI . . . . . 36.

CAPUT QUARTUM.

DE SCRIPTURA MINUSCULA . . . . . 59.

CAPUT QUINTUM.

DE ANTIQUISSIMIS ABBREVIATIONIBUS . . . . . 69.

CAPUT SEXTUM.

DE NOTIS PRAEPOSITIONUM . . . . . 78.

CAPUT SEPTIMUM.

DE COMPENDIIS . . . . . 88.

INDEX PALAEOGRAPHICUS . . . . . 96.

INDEX SCRIPTORUM, QUORUM LOCI TRACTANTUR . . . . . 99.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. S.

Quam materiam pro virili parte tractare institui, Candide Lector, amicis meis studiorumque fautoribus non omnibus aeque placet. Multorum iudicio diligens boni alicuius scriptoris interpretatio aut brevis factorum memorabilium enarratio sincera fide conscripta cum his humeris fuisset aptior tum ad nostrae aetatis sensum, quae ante omnia rerum usum spectat, longe accommodatior. Contendunt enim in critica ista „*coniecturali*" post tot doctorum virorum lucubrationes difficultates inesse prope immensas, parum aut nihil quod simul et novum et certum sit; „*sublimiorem*" vero criticam quam vocant, arcta necessitudine cum altera illa coniunctam, nostra praesertim memoria plurimis rebus graviter nocuisse.

Digitized by Google

Latissime haec opinio obtinuit quippe quae non apud eos tantum valeat, qui humiliore vitae conditione aut etiam infeliciore ingenio usque adeo sint ἄμουσοι ut totum hunc literarum humaniorum cultum tamquam desidiosas nugas vilipendant, (profanum vulgus quod raro verum videt et hic saltem religiose arcendum est) imo vero assentiuntur viri clari et honorati iique hac ipsa humanitatis laude insignes. Rogavit me nuper unus ex civibus meis, vir eximius quem magni facio, num philologi putaremus subtile istud disputandi genus, quod totum versetur in argumentis minutissimis, quidquam omnino afferre posse ad communem utilitatem. Quod ut illi probarem non multis verbis opus erat: liberalis enim est et ingenuus et quem facile errores suos dedoceas. Verum quotusquisque huic est similis? *Tempora* sane *mutantur*, ut aiunt, sed non mutantur in illis „coecae mortalium mentes" pronae in omnem superstitionem. Pergunt homines tum adunco naso suspendere tum gravi supercilio damnare quae plane ignorant ut vix aliud sit vitium tam frequens tamque pervulgatum. Nonne quod cum dolore queruntur Casauboni, Bentleii, Ruhnkenii, idem prorsus etiamnunc in laudatissima huius saeculi praestantia criticis identidem obtingit? Quid si Britanni quoque, qui ingeniorum sollertia morumque gravitate caeteras plerasque nationes antecellunt, minime suo pretio aestimant doctum BADHAMUM literarum inter populares suos unum omnium peritissimum, qui nunc procul a patria in ultimas terras devectus nimium nimiumque expertus est aequalium invidiam ac suspicionem!

Digitized by Google

At neque in vicina Germania criticis sua laus constat apud omnes. Et olim fuit et nunc superest obscurum quoddam genus anonymorum, qui quidquid e scriniis philologorum, nostratium imprimis, prodit in lucem cupide damnant, despicatui habent, derident cum ira et studio prope Dorvillianis. Ecquando haec natio iniqua bella componet? Nihil tamen istorum μικροψυχία umquam movit populares nostros, qui μέγα φρονοῦντες illa omnia non multum curare assolent.

Si forte quaerimus unde tandem ars revera salutaris cum olim tum hisce praesertim temporibus tantum odii contraxerit, tantae perversitatis crimen susceperit, non omnibus eadem de causa illam invisam esse apparet. Sunt qui nil bonum nil utile ducant nisi quod ipsi perspectum habeant neque criticam ergo. Hi non audiendi sunt. Aliis critica facultas videtur, omnia pariter in dubium vocando, non librariorum scriptorumve errores tantum sed ipsam religionem tollere: temere enim labefactare et convellere quae semper a sapientissimo quoque habita sint verissima; quin etiam eximere ex animis mortalium spem certam futuri ad bene beateque vivendum tantum non omnibus valde necessariam. Alii denique multi, homines eruditi atque humani, de religione optima quaeque sperare non desinunt literasque nobiscum amant et diligunt, insanum vero istud sanandi studium, quo semel tamquam furore exagitati nil nisi urere et secare cupiamus, id quidem acriter perstringunt. Iacebat, ut perhibent, se pueris nugatoria illa critica: tunc demum in honore erant Graeci et Romani! Florebat studium veteris eloquentiae et poesis; fabularum amoenitates delecta-

Digitized by Google

bant unumquemque et unamquamque; historicorum quoque opera multi curiose evolvebant: minime tamen ut haberent quae in singulis syllabis voculisve avide reprehenderent sed ut discerent quod prodest in vitam. Quodsi philosophiam spectes quanto omnium ardore excolebatur! quam urbane iuvenesque senesque disputabant in utramque partem! Nemini politiorum certe hominum non in ore erat sapiens ille Socrates, divinus ille Plato, quem si non omnes Graece legerent ad exemplum magistri tamen vehementer admirabantur. — Praeteriit aurea aetas. Proh dolor! quo nunc perventum est dementiae. Nunc omnia olent malesanam criticam. Iam in ipsa umbra ludorum saepenumero „vir doctissimus" vix mediocriter doctus infelices suas expromit correctiunculas; iam qui iuventutem ad summa quaeque instituunt non hoc imprimis agunt ut discipulorum animis penitus inhaerescant perfecta illa dicendi scribendique exempla quae magna copia in utraque lingua exstant — noli exspectare quod meris criticis indignum est — longissime diversa enim est ratio studiorum quam et aliis praecipiunt et ipsi sequuntur. Qui miro iudicii errore in laetissima omnium elegantiarum segete neglectis melioribus inanes tantum spicas colligunt, videlicet ut singularibus coronis ornent lepida sua capita! Laudent alii quod sanum est et integrum et omnibus numeris absolutum; istorum animus pascitur mendis et corruptelis. Quid tradant veteres auctores parum refert; callere historiam non admodum videtur necessarium: quanto maiore cura scilicet dignae sunt magistellorum ineptiae, correctorum levitas, librariorum socordia. Quidve simul et iucundius est et facilius quam

Digitized by Google

traducere monachorum incredibilem ignorantiam, declamare in scribas somnolentos, debacchari in deliros Graeculos? Quos usque intuendo etiam quibus multa natura negavit sensim semet ipsi maiores fieri videntur. O studiorum vanitatem, o stultum laborem! ..... Sed satis superque est. Sunt hi fere gravissimi adversarii.

Qui, ut mihi videtur, haud mediocriter errant sed ita, fateor, ut eorum quamvis perversa opinio tamen aliqua ex parte excusari possit. Hic quoque errore communi, quo facile labimur omnes, hominum vitia conferuntur in artem innocentem. Quod ut medicae arti saepe evenit sic criticae evenisse quis est qui miretur? Quae quidem iure suo omnium scientiarum domina et regina benemultos amore sui incendit homines arrogantes, leves, loquaces quique regiam dignitatem ac maiestatem parum vindicabant. Omnino verum est quod pronuntiavit *Ruhnkenius* in *Elogio Hemsterhusii:* „excellentium criticorum summam omni tempore fuisse paucitatem"; addere poterat more suo id est graviter ac severe: deformis criticastrorum natio naso auribusque carentium mirum quam semper floruit et etiamnunc floret. Cogitanti vero mihi quid tandem sit cur non indocti vel semidocti tantum sed etiam alii, acuti sane et eruditi homines, simulac criticam exerceant statim quasi hallucinentur et nihil dicant, hoc potissimum videtur in causa esse quod vulgo cum necessariis huius disciplinae adminiculis tum animi modestia plane destituti audacter hariolando omnia utcunque expedire volunt, imo vero ne ea quidem intacta relinquunt quae, cum suapte natura

Digitized by Google

aciem ingenii humani effugiant, satius sit alto silentio premere.

Libere dicam quod sentio. Aut ego fallor aut sapientis est γνῶναι ἑαυτὸν et quaedam *nescire*. Patet autem criticis campus vastissimus in quo pro sua quisque facultate omnes summa libertate excurrere possunt (nam quod non liberum est iudicium id nullum habendum) sed campus tamen ut pomoerium urbis Romae certis finibus circumscriptus „quos ultra citraque nequit consistere rectum". Quod scite alicubi Martialis ut plura: „Quisquis plus iusto non sapit ille sapit". Mihi quidem saepe ob oculos versatur infelix Icari illius imago, qui utinam posteros omnes exemplo suo deterruisset ne cereis pennis altius evolarent! Quod longe aliter evenit. Et vero quod homines inepti suo arbitratu de qualibet re quidlibet statuant, id non magnopere curamus. „Istorum levitas, ut recte ait Ruhnkenius, doctorum silentio et contemtu abunde vindicatur." Forsitan quispiam dixerit intolerabilem esse tantam impudentiam et quovis modo coercendam. At non est operae pretium. Pariant irrita sua ova partaque foveant quamdiu placebit: numquam quidquam exibit quod *vivere* potest. Sed tamen, ut verum fatear, aliquanto gravius interdum me commovet ridicula quaedam superstitio, qua nostra praesertim aetate permulti funditus imbuti sunt. Scilicet adoratur stupida religione dea quaedam *Scientia* nata, opinor, ex cerebro mortalis nescio cuius inepti et cum docta Minerva neque aeternitatem neque modestiam virginalem neque quidquam aliud commune habens. O „*sancta* eruditulorum *simplicitas*"! Hanc nunc poetarum, philosophorum, oratorum greges numerosae coelestem deam

Digitized by Google

salutant, hanc laudibus omne genus extollentes fastidium parere prudentioribus non desinunt, huius libertatem, auctoritatem, gloriam dummodo celebrent, non parcunt ampullis et sesquipedalibus verbis. Regnat in his rebus quoque mos quidam.

Non ita multis ante annis apud nostrates solemne erat graviter et ornate disserere *de luce in qua nunc vivimus* et *de praestantia huius saeculi* et *de eximio pretio hominis mortalis*. Iam paullulum intermittere futiles istas nugas laeti videmus sed quid prodest si statim novum malum paratum? Finge Socratem τὸν εἴρωνα, τὸν οὐδὲν παντάπασιν εἰδότα divinitus ab inferis excitatum tot saeculorum intervallo in hanc lucem rediisse: cum alios quosdam salse rideret, ni fallor, tum profecto more suo (ut olim sic nunc) eorum sive arrogantiam sive insaniam libera contumacia exagitaret, qui non sapientiae *amorem* sed ipsam sapientiam haud obscure profitentur; utpote quibus ipsa Scientia, veluti altera Egeria, omnes res divinas atque humanas disertis verbis patefecerit. Quae cum ita in animum inducant, tu cave ne obloquare sacrosanctis deae interpretibus, ne interpelles quidem, quod si feceris, manifestum te habebunt veritatis osorem, hominem si non improbum et nihili at certe lucifugum, superstitiosum, animi pusilli. At „νᾶφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν" aureum est praeceptum. Hoc si tenes vide an novissima oracula mecum contemnas. Scilicet somnium vocatur generis nostri nobilitas, bestiis acquiparantur maiores, coelum mortalibus negatur..... Apage turpes nugas! Vix dici potest quam *radicitus* istiusmodi dementia frangat auctoritatem critices sanioris; quantum dolorem, quantam tur-

Digitized by Google

pitudinem inurat universis disciplinis, ita ut quae ab unoquoque inter summa bona essent habenda ea nunc paullo infirmioribus (quales multi sunt) prorsus perversa videantur et omnino abiicienda. Bonum factum quod dies hominum commenta delet: quo absurdiora eo certius. Hanc igitur eximiam temporis medicinam bono animo exspectamus.

Ab tot ineptorum arrogantia atque levitate quantum differt *doctorum* flagrans ille veritatis amor studiumque indefessum cum amabili modestia coniunctum primum omnia cum pulvisculo excutiendi, deinde diu et multum perpendendi ut sic demum firmis fundamentis superstruant solida et duratura. Hanc regiam viam institerunt philologorum admirabiles illi principes, δαιμόνιοι ἄνδρες, quos protulit Anglia imprimis et patria nostra. Quorum singulari εὐστοχίᾳ et insigni industria factum ut veterum scriptorum, praesertim Graecorum emendatio, olim vel ingeniosissimo cuique periculosae plenum opus aleae, iam tantum non in certam artem redacta sit seque ipsa a crimine effrenatae licentiae facillime tueatur. Etenim recte iamdudum intellexerunt viri docti quam rationem in suis disciplinis sequantur physici et mathematici, eandem etiam in historia conscribenda literisque antiquis illustrandis unam esse omnium optimam. Quemadmodum tota rerum natura legibus tenetur immutabilibus, fortuna nullum locum habet, sic dicta et facta humana quoque pari necessitate inservire videmus eademque usque recurrere. Quae cum ita sint ubivis primum omnium observanda est analogia, qua semel perspecta vel impeditissimis locis lux clara necopinato affunditur. Quod ut universe

Digitized by Google

sic peculiariter valet de erroribus librariorum in veterum scriptis describendis proque sua peritia interpretandis et corrigendis. Cum enim hoc habeant maiora ingenia ut quasi splendeant sua quisque propria luce et a se invicem statim dignoscantur, homines obtusi et hebetes contra, quales admodum erant Graecorum seri nepotes, omnes fere eandem imaginem referunt, iisdem erroribus labuntur, eadem ἀναισθησίᾳ codicum vitia concoquunt, nova committunt, malo malum augent. Non profecto istiusmodi hominum erat quae auctores paene perfecti saeculorum memoria digna scripserant ea ab omni labe pura et integra tradere posteritati. Saepe verborum sensus parum curiosi satis superque habebant librorum scripturam oscitanter depingere. Quamquam eiusmodi socordia compluribus locis detrimentum intulerit, quamquam prava singulorum verborum interpunctio et infelices syllabarum omissiones vel repetitiones et frequentes literarum, compendiorum, siglorum non multum dissimilium permutationes monstra saepe genuerint atque portenta, tamen si sano iudicio accedit Graecitatis scientia et artis palaeographicae peritia, facile erit horum magnam partem interpretari ac procurare. Multo gravius se res habet si forte placuit docto monacho aut magistello scriptoribus antiquis admovere manum corruptricem et pristinam verborum sanitatem refingere ad normam sequioris aevi. Haec quoque menda tollere possunt critici. Sed opus est diu versasse grammaticos et lexicographos et reliquos aereae aetatis scriptores qui purum sermonem atticum quem ipsi turpiter ignorant neminem recte docebunt sed quorum repetita lectio hoc saltem commodi habet quod facem praeferat

Digitized by Google

attento lectori ad clare dispiciendum quid in vetustis membranis ἀχέραιον profectum sit ab ipsis Ionibus et Atticis, quid corrector multis post saeculis suo arbitratu mutaverit. Tertium denique est foedum corruptelae genus quod a paucis editoribus animadversum ad hunc usque diem praestantissimum quemque scriptorem deformat. Scilicet e codicum marginibus in textum irrepserunt variae lectorum explicationes et observationes quas ubique ascribere vel suprascribere solebant. Quo in genere etsi haud raro meliorum librorum collatio doctis indoctisque ostendit quid male alicunde pedem intulerit, multa tamen sunt scholia et emblemata omnibus libris MSS, qui aetatem tulerunt, antiquiora, quae certis indiciis deprehendere ac semel deprehensa ipsius scriptoris auctoritate audacter expungere munus est ingeniosi critici. At res est lubrica et multi iudicii; quocirca cavendum ne illotis manibus haec sacra attrectemus.

Horum ac similium vitiorum permulta iam *certa* medela sublata esse inter omnes harum rerum iudices liquido constat; alia autem plurima quorum et facilis et evidens esset emendatio, in tritissimo studiorum genere ad hanc aetatem viros doctos latere potuisse, etsi sunt qui negent, ego tamen pro certo affirmare nullus dubito. Et sane „non omnia possumus omnes" ut apud poetam est sed inventuris non obstant inventa. Concedo temporum hominumque iniuria tam densis tenebris premi nonnulla ut semper irrita sit futura veri inveniendi spes:

> Neque est in medico semper relevetur ut aeger
> Interdum docta plus valet arte malum.

Digitized by Google

Verum enimvero alii loci occurrunt mutili nunc et obscuri ubi critices lumen prudenter admotum omnes nebulas repente dispellet. Id igitur si verum est, quod nemo paullo acutior admonitus dubitabit, ut nova nobis reperienda supersint, ingenuus profecto est labor veterum monumenta, quae in omne tempus futura sunt summae humanitatis principium et fons, inveteratis negligentiae stultitiaeque sordibus ita purgare ut pristina luce quasi resplendescant. Equidem certe, si non plane deest pulchri verique sensus viresque suppeditabit aetas et non intermissa studiorum exercitatio, lubens aliquando in hac palaestra certarem. Namque constat quo rectius quisque et de aliorum in arte critica inventis potuit iudicare et ipse corrupta in integra restituere eo melius quid scriptores voluerint tum intellexisse tum discipulis explicasse.

Ad declarandum autem quare hunc scripserim libellum pauca monuisse suffecerit. Non is sum qui existimem me curriculo academico decurso iam sic satis ab omni parte paratum esse ad artem difficillimam exercendam, cum nihil magis ex animi sententia exoptem quam ut omnes intelligant *discendi* non docendi causa me id aetatis in scriptoris gradum ascendisse. Effecit haec ipsa cogitatio, dum alia quoque argumenta et novitate et suavitate valde mihi arridebant, ut rationibus subductis omnium utilissimum duxerim insigniores observationes palaeographicas, quas a summis criticis didiceram, ordine quodam recensere, additis exemplis ex probatis scriptoribus emendationum, quae ex his fontibus manarunt. Caeterum si forte erant leviora quaedam, quae ipse mihi

Digitized by Google

reperisse videbar, haec quoque nonnumquam adieci, at raro tamen ne ipse inepte committerem quod in aliis reprehendebam. Tu L. B. aequi bonique consulas hasce qualescumque studiorum meorum primitias et ubi erravero pro humanitate tua meliora me doceas.

Scribebam Lugduni Bat.
mense Octobri A. MDCCCLXX.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Res enim sunt parvae, prope in singulis literis atque interpunctionibus verborum occupatae.
Cic. pro Mur. II.

In vetustissimis libris MSS. singulorum verborum interpunctio fere nulla erat, literae unciales perpetua serie continuabantur, spiritus et accentus deerant. Exemplo supersunt libri papyracei hoc saeculo Thebis Aegyptiis imprimis et Herculani reperti; membranacei Vaticanus, Sinaiticus, Octateuchus Vossianus, alii complures. Sensim autem pedetentimque mos antiquus abiit in desuetudinem. Coeperunt in lectorum commodum singulas voces intervallis distinguere ut nunc solemus; literarum formae rotundae factae ab angulosis ut uno ductu exararentur cum praecedentibus et subsequentibus eiusdem vocabuli sponte coniungebantur; accentus et spiritus denique, olim sine damno omissi, posthac in diem crescente veteris linguae inscitia legentium ac praelegentium turbae necessarium erant praesidium. Sic factum ut saeculo nono p. Chr. n. antiqua scriptura ubique ex communi hominum

Digitized by Google

consuetudine evanuisset omnesque uterentur transformata *minuscula*. Describebantur igitur vetusti codices optimae notae novo ritu et lectoribus et librariis multo faciliore; descriptos utpote iam nullius pretii nemo curabat. Quorum utinam plures aetatem tulissent! Quot quantis enim erroribus lapsi sint qui literas unciales inexercitatis oculis perperam lectas ligato charactere expresserunt praeter harum rerum iudices nemo facile credit. Qui semel hoc perspexerit in locis obscuris utilissimum iudicabit revocare quadratas, delere interpunctionem, spiritus omittere, ne accentibus quidem nimium tribuere, cum sexcentis exemplis luculenter pateat in his omnibus viam nobis monstrare qui sibi semitam non sapiant. Vel sic, ut facile intelligitur, non cuiusvis est multa rectius constituere, verum qui iudicio non omnino est destitutus, coniungenda certe non distrahet, distrahenda non coniunget neque bis leget quae semel aut semel quae bis erant legenda. Quibus modis scribarum natio identidem peccavit. Ἐπιπόλαια sane haec sunt vulnera et leviora ut mirari possis adhuc sananda superesse.

Sed valet de inventis criticorum quoque acuta quaedam Plutarchi observatio in vita Marcelli (Cap. 17) ubi dicit: Ζητῶν μὲν γὰρ οὐκ ἄν τις εὕροι δι' αὐτοῦ τὴν ἀπόδειξιν, ἅμα δὲ τῇ μαθήσει παρίσταται δόξα τοῦ κἂν αὐτὸν (Leg. αὐτὸς) εὑρεῖν· οὕτω λείαν ὁδὸν ἄγει καὶ ταχεῖαν ἐπὶ τὸ δεικνύμενον. Quin etiam in verbis vernaculis nonnumquam ridicula syllabarum divisio per iocum perperam dispositarum non stultos tantum sed eruditos homines probe decepit.

In Graecis autem interdum vel unus spiritus male lectus

Digitized by Google

totam sententiam obscuravit. Cuius rei in mentem venit nitidum exemplum. Est locus apud Libanium: (Reiske III, p. 261 *περὶ τοῦ τάπητος*) *οὕτω γὰρ αἰσχύνης ἐστὶ τὸ πρᾶγμα μεστὸν ὥστ' οὐχ ὁρώμενος ὁ τῷ τάπητι περιπεσὼν καταγελᾶται μόνον ἀλλὰ κἂν εἰς οὓς ἀφίκηται, γραφόντων ἐν τῇ διανοίᾳ τῶν ἀκουόντων τὸ πραττόμενον.*

Quis tam obtuso est ingenio ut hic nihil mutandum esse contendat? Tu mecum crede Cobeto *εἰς οὓς ἀφίκηται* reponenti et videbis sic omnia recte procedere. Sed hoc *ὁδοῦ πάρεργον.*

Afferam nunc locos aliquot quos ea ratione quam supra indicavi feliciter emendarunt Casaubonus, Bentleius, Valckenaerius quoque, cuius *Corollarium criticum* Diatribae in Euripidis fragmenta adiectum etiamnunc philologorum studiis quantivis est pretii. Habent enim hoc Valckenaerii scripta in paucis, ut minime verbosa neque densa minutiarum farragine oppleta rerum capita ubique admirabili quadam arte exponant [1]).

Iam inventorum agmen ducat optima coniectura Casauboni quo nemo plura elegantius emendavit. Exstat apud Athenaeum (XV, 699, f.) fragmentum elegiacum Alexandri Aetoli *τοῦ τραγῳδιοδιδασκάλου*, haud illepidi poetae quantum ex paucis reliquiis iudicari potest. Depingitur *παρῳδιῶν ποιητής τις* Siciliensis:

---

[1]) Imprimis multa me didicisse gratus agnosco ex *Schedis* eius *criticis* in privatum usum conscriptis quae summa religione asservantur in Bibliotheca Lugduno-Batava. Quarum humanissime mihi copiam fecit vir doctissimus G. N. du Rieu Bibliothecae praefectus.

Digitized by Google

ὧν Ἀγαθοκλῆος λάσιαι Φρένες ἤλασαν ἔξω
πατρίδος ἀρχαίων ἦν ὅδ' ἀνὴρ προγόνων·
εἰδὼς ἐκ νεότητος ἀεὶ ξείνοισιν ὁμιλεῖν
ξεῖνος.

Deinde sequitur in archetypo Marciano:

μιμνερμουδεισεποσα
κρονιων

quae vocabula in hunc modum exhibent apographa:

μιμνέρμου δεῖ σε πόσα κρονίων
παιδομανεῖ σὺν ἔρωτι πότην ἴσον. κ. τ. λ.

Manifesto corrupta. Nullo enim pacto explicari possunt δεῖ σε πόσα κρονίων. At nihil tamen immutandum. Satis est diligenter considerare quid scriptum sit. Quod primus fecit Casaubonus (Animadv. XV, 17). Nempe legendum esse vidit:

Μιμνέρμου δ' εἰς ἔπος ἄκρον ἰών,

quod statim omnium consensu in ordinem receptum est.

Addam ex Athenaeo aliud exemplum (VI, 261, f.) Anaxandrides, nobilis comoediae mediae poeta ἐν Φαρμακομάντει ipsum Φαρμακόμαντιν verissime iudicantem facit περὶ τῆς ἀλαζονείας:

ὅτι εἶμ' ἀλαζὼν τοῦτ' ἐπιτιμᾷς; ἀλλὰ τί;
νικᾷ γὰρ αὕτη τὰς τέχνας πάσας πολὺ
μετὰ τὴν κολακείαν. ἥδε μὲν γὰρ διαφέρει.

En habes ipsa verba poetae ubi omnia sunt integra et perspicua. Sed noli putare librarios haec nobis tam intacta servasse. Scriptum est in archetypo:

ἀλλατινικαιγαραυτη.

Digitized by Google

Haec in antiquissimis editionibus ubi metrum compluribus locis aut plane negligitur aut misere iugulatur ita distinguuntur:

ἀλλά τινι καὶ γὰρ αὕτη

quod nihil est. Atram caliginem dispellit idem Casaubonus „ope divinae Critices" ἀλλὰ τί; νικᾷ γὰρ αὕτη τὰς τέχνας πάσας πολύ.

Neque minoris praestantiae sunt quae hoc in genere habet Richardus Bentleius in *Epistola ad Ioannem Millium* „mirabili illo ingenii et doctrinae monumento, quale proficisci non poterat nisi a principe saeculi sui criticorum" [1]). Iam prima pagina incidimus in id quod volumus. Castigatur locus subobscurus Ioannis Malalae, hominis tam inepti ut vel hac ipsa de causa operae pretium sit Χρονογραφίαν eius per otium percurrere. Delectamur enim nescio quo modo abstrusa illa tam perfecti stulti sapientia. In loco autem a Bentleio correcto de more hoc ante omnia agit pius Malalas ut accurate exponat quam mira saepe intercedat convenientia inter placita ethnicorum et verae religionis doctrinam. Nimirum luculenter ostendere sibi videtur quam praeclare Orpheus ille multa cecinerit omnino καθὼς Μωϋσῆς ὁ πάνσοφος κατέθετο ταῦτα! Cui non iussa tantum sed ipsum arcanum nomen Dei optimi maximi innotuisse narrat: οὗ ὄνομα ὁ αὐτὸς Ὀρφεὺς ἀκούσας ἐκ τῆς μαντείας ἐξεῖπε μή τινα φάναι τὰ ἐρικεπεὼ (ὅπερ ἑρμηνεύεται τῇ κοινῇ γλώσσῃ βουλὴ, φῶς, ζωοδοτήρ). Haec verba cum olim ita interpretati sint viri docti „cuius nomen ex oraculo edoctus

[1]) Verba Ruhnkenii.

Digitized by Google

Orpheus edixit *neminem effari ericepeo*, suavissimum in modum meliora docet Bentleius qui veterem ac probam lectionem quasi fugitivam reducit. Certissima est emendatio ut nemo amplius dubitare possit: *οὔ ὄνομα ὁ Ὀρφεὺς ἀκούσας ἐκ τῆς μαντείας ἐξεῖπε μῆτιν | ἀΦάναιτα | ἠρικεπεον* [1]). Deinde paullo infra plane eodem modo multis mendis liberat Hesychium, sed nolo plura hic ascribere quae ipse Bentleius elegantissime demonstrat. Statim igitur pergo ad nobile inventum Valckenaerii (Coroll. Crit. p. 286).

Occurrit in Scholiis MSS. ad Odysseam (λ 134) fragmentum ex Aeschyli Ψυχαγωγοῖς de morte Ulyssis: *ἐρρωδιὸς γὰρ ὑψόθεν ποτώμενος ὃν θ' ὡς ἔπληξεν, ἡ δ' υἱὸς χειλώμασιν κ. τ. λ.* Monet Valckenaerius (quod nemo infitias ibit) dramatis argumentum Aeschylo praebuisse Homeri Νέκυιαν atque ista verba esse Tiresiae. Ad hanc lucem salutem affert verbis dudum desperatis. Suadet enim:

ἐρρωδιὸς (ἐρωδιὸς?) γὰρ ὑψόθεν ποτώμενος
ὄνθῳ σε πλήξει νηδύος χειλώμασιν.

Fieri potest ut vel sic non agnoscas tragicam sublimitatem et magnificentiam, verum quid censes, nonne palmam ferre tibi videtur corrector acutissimus et felix?

Caeterum multa similia ex professo ostendunt populares nostri Guilielmus Canterus (Nov. Lect. Lib. V, Cap. 1)

---

[1]) Cf. Cap. II.

Digitized by Google

et Adrianus Heringa *ἰατρὸς ἀνὴρ* plerisque literatis literatior (Obss. Crit. Cap. II) ubi vide.

At ne nostros homines prae veteribus illis heroibus spernere videar, iuvat apponere duos locos Thucydideos quos correxerunt Pluygersius et Herwerdenus vv. cc. Videat ipse lector eruditus an rem acu tetigerint.

Thuc. I, 61: — *ἔπειτα ἀπανίστανται ἐκ τῆς Μακεδονίας καὶ ἀφικόμενοι ἐς Βέροιαν κἀκεῖθεν ἐπιστρέψαντες καὶ πειράσαντες πρῶτον τοῦ χωρίου καὶ οὐχ ἑλόντες ἐπορεύοντο κατὰ γῆν πρὸς τὴν Ποτίδαιαν.* Suadet Pluygersius *κἀκεῖθεν ἐπὶ Στρέψαν.* (syllaba *τες* addita est a scribis qui non capiebant istud *ἐπιστρεψαν.*)

Thuc. III, 52 in fine: — *οἱ δ' ἔλεγον, αἰτησάμενοι μακρότερα εἰπεῖν καὶ προστάξαντες σφῶν αὐτῶν Ἀστύμαχόν τε τὸν Ἀσωπολάου καὶ Λάκωνα τὸν Ἀειμνήστου πρόξενον ὄντα Λακεδαιμονίων καὶ ἐπελθόντες ἔλεγον τοιάδε.* Herwerdenus in Stud. Thucyd. p. 44: *οἱ δὲ λόγον αἰτησάμενοι μακρότερον εἰπεῖν — (καὶ) ἐπελθόντες ἔλεγον τοιάδε.*

Ultimo exemplo utar evidentissima coniectura Dobraei (in Adverss. II, p. 341) miro quodam casu nuper a Meinekio neglecta in Athenaei editione Teubneriana. In noto fragmento Anaxilai (Athen. XIII, 558, b) summorum virorum sollertia iam tantum non in integrum restituto haec vitiata sunt:

οἱ Σινώπῃ δ' αὖ συνόντες οὐχ ὕδρᾳ σύνεισι νῦν;
γραῦς μὲν αὕτη, παραπέφυκε δ' ἡ Γνάθαινα πλησίον
ὡς τὰ πολλά γ' εἰσὶ ταύτης ἔστι διπλάσιον κακόν.

Ubi procul dubio manum poetae reperit Dobraeus:

Digitized by Google

ὥστ' ἀπαλλαγεῖσι ταύτης ἔστι διπλάσιον κακόν.

i. e. „si vetulam effugeris in iuvenculam incidis, duplex malum". Quid autem Meinekium virum acutissimum permoverit ut absurdam librorum lectionem, quam ipse iam multis ante annis damnavisset [1]), nunc quasi postliminio revocaret equidem nullus video. Non semper, ut videtur, αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι. — Haec de syllabis male dispositis sufficiant.

Reliquum est ut moneamus de dittographiis et de iis vitiis quae orta sunt ex erroribus plane contrariis. Quae quidem apud poetas ubi ipsum metrum fraudem arguit facili negotio deprehenduntur et plerisque locis dudum sanata sunt; in oratione soluta vero saepe editores fugiunt. Licet toti nunc simus in scriptoribus Graecis, lubet tamen primum omnium expromere emendationem Livianam Tib. Hemsterhusii, quam mihi indicat Valckenaerius in schedis criticis; exempla Graeca deinde ex Novo Foedere dabunt duo docti theologi; ipse denique, quoniam non opus est multis gravibus testibus in re tam facili et aperta, pauca quaedam addam de meo.

Tib. Hemsterhusius (in Obss. Miscell. Vol. II, p. 149, 150 ad Aelianum) egregiam opem fert Livio (XLV, 41, § 12). In fine orationis Pauli Aemilii quae revera est „memorabilis et digna Romano principe" liber MS. unicus habet: *Paulus in domo praeter sed nemo superest.* Editores: *Paulus* vel *Pauli in domo praeter me nemo superest.* Quanto melius Hemsterhusius: Pauli in domo

---

[1]) Cf. Fragm. Comic. Graec. Vol. III, p. 349.

Digitized by Google

praeter *senem nemo* superest. Quod tamen in complu-ribus editionibus non est receptum.

Perpaucis quoque τῶν ἐπαϊόντων τούτων πέρι innotuit pulcherrimum quoddam inventum Camerarii, docti philologi, iurisconsulti, theologi, hominis cauti et circumspecti iudicii, quales omnes esse velles Verbi Divini „Ministros". Qui in Euangelio Ioannis (XIX, 29) veram lectionem sagacissime odoratus est. Acute enim perspexit corruptelam in vocabulis ὑσσώπῳ περιθέντες latentem qua sublata mirum quam sana evadit sententia.

Hoc profecto est quod voluit scriptor: οἱ δὲ (στρατιῶται) πλήσαντες σπόγγον ὄξους καὶ ὑσσῷ περιθέντες προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι i. e. milites Romani spongiam aceto plenam *pilo infixam* ori eius admoverunt. Et hercle dilucide apparet unde nata sit ridicula ista hyssopus. Ignorabant sequiores ὑτσὸς quid esset, igitur syllabam sequenti non valde dissimilem excidisse suspicati excogitarunt id ipsum quod aetatem tulit.

Sensu vacat quod legitur in epistola Pauli ad Rom. XII, 3: λέγω γὰρ διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ubi iustum remedium adhibet Clar. Venema: (apud Valcken. in Schedis) παντὶ τῷ ὄντι τι ἐν ὑμῖν coniiciens, quod idem aliis quoque in mentem venit. Locum tamen vel sic non satis intellexisse mihi videntur interpretes. Nam fugit eos quam vim habeat illud τι quod non simpliciter significat *aliquid* sed *magnum aliquod, aliquid magni ponderis et momenti.* Testes sunt quot velis. (Cf. imprimis Plato Gorg. 472 A, Phaedr. 242 E, Men. in Stob. Flor. 22, 28, Act. Apostol. 5, 36).

Digitized by Google

Ad Odyss. N. v. 215

(ἀλλ' ἄγε δὴ τὰ χρήματ' ἀριθμήσω καὶ ἴδωμαι,
μή τί μοι οἴχονται κοίλης ἐπὶ νηὸς ἄγοντες)

Scholiastes annotat: ἵνα τὴν γνώμην αὐτῶν καταμάθῃ. εἰ γὰρ μηδὲν ἔλιπε τῶν χρημάτων, ψευδὴς ἦν τὸ εἰς ἀλλοτρίαν γῆν αὐτὸν ἀφῖχθαι. Verborum sententia est: si enim nihil *deesset*..... etc. sed non hanc vim habet simplex λείπειν.

Non opponuntur inter se λείπειν et παρεῖναι sed ἐλλείπειν. Lege igitur εἰ μηδὲν ἐνέλιπεν. Exempla verbi ἐλλείπειν sunt apud quemlibet scriptorem, plurima apud Platonem. Recte apud Polybium in oratione Scipionis. (XI, 28, 4 Edit. Stereot.) Ἀλλὰ τοῦτο ἐμὸν μὲν οὐκ ἦν ἔγκλημα· κατὰ γὰρ τὴν ἐμὴν ἀρχὴν οὐδὲν ὑμῖν ἐνέλιπε τῶν ὀψωνίων. Apud eundem X, 18, 8 editur: συμπαθὴς γενόμενος ἤρετο τί λείπει αὐταῖς. Repone ἐλλείπει ut paullo infra legimus: θαρρεῖν ἐκέλευε τὰς γυναῖκας· αὐτὸς γὰρ ἑτέρους ἐπιστήσειν τοὺς φροντιοῦντας ἵνα μηδὲν αὐταῖς ἐλλείπῃ τῶν ἐπιτηδείων. Varium et mutabile semper Editor.

In Athen. Lib. IX, p. 400 d. legimus, cum in insula Astypalaea ingens aliquando esset leporum copia ad oracula confugientibus Astypalaeensibus τὴν Πυθίαν εἰπεῖν κύνας τρέφειν καὶ κυνηγετεῖν. Atqui non solet εἰπεῖν ἡ Πυθία, quod cuiusvis est, sed ἀνειπεῖν et ἀνελεῖν. Adhibe igitur medicinam qua opus est.

Apud eundem Lib. XIII, p. 592 e. in fragmento orationis Lysiacae κατὰ Λαΐδος, εἰ γνήσιος ὁ λόγος, editur: Φιλύρα γέ τοι ἐπαύσατο πορνευομένη καὶ ἔτι νέα

Digitized by Google

οὖσα καὶ Σκιώνη καὶ Ἱππάφεσις καὶ..... In tanta frequentia particulae καὶ haud poenitebit primam expunxisse natam e dittographia (Vid. Cap. VII). Legendum: Φ. γέ τοι ἐπαύσατο πορνευομένη ἔτι νέα οὖσα κ. τ. λ. Eadem opera Athenaeum alio vitio liberabo quod deprehendi in verbis quae continuo sequuntur.

„Δημοσθένη δὲ τὸν ῥήτορα καὶ τεκνοποιήσασθαι ἐξ ἑταίρας ἔχει λόγος. αὐτὸς γοῦν ἐν τῷ περὶ Χρυσίου λόγῳ προαγήοχε τὰ τέκνα ἐπὶ τὸ δικαστήριον, ὡς δι' ἐκείνων ἔλεον ἕξων, χωρὶς τῆς μητρὸς, καίτοι ἔθος ἐχόντων τῶν κρινομένων τὰς γυναῖκας ἐπάγεσθαι. ἀλλ' αἰδοῖ τοῦτ' ἐποίησε φεύγων τὴν διαβολήν. Ecquis dubitabit mecum reponere: ἀλλ' αἰδοῖ τοῦτ' οὐκ ἐποίησε? Animadvertendum particulas οὐ, μὴ, ἀεὶ etc. sexcentis locis excidisse.

Manifesta dittographia, ni fallor, obsidet Lucret. de Deor. Nat. v. 150. Praecedunt notissima illa:

> Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse est
> Non radii solis neque lucida tela diei
> Discutiant sed naturae species ratioque.

Deinde sequitur:

> Principium *hinc* cuius nobis exordia sumet,
> Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam.

Qui verborum nexum attendit et aures habet, restituet:

> Principium cuius nobis exordia sumet.

In Herod. Libr. V, Cap. 33 offendor hisce verbis: „Σοὶ δὲ καὶ τούτοισι τοῖσι πρήγμασι τί ἐστι";

Digitized by Google

Vehementer dubito an bene Graeca sit oppositio inter σοὶ et πρήγμασι, quae quidem sine exemplo est. Quapropter noto loquendi usu qui saepius occurrit apud Demosthenem nec non apud ipsum Herodotum (Vide Cap. 84) rerum scriptorem dedisse suspicor: σοὶ δὲ καὶ τούτοισι πρῆγμα τί ἐστι; duplici dittographia expuncta.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

Non alienum videtur nunc primum omnium agere de erroribus ortis ex vitiosa sequiorum pronuntiatione.

Vocales et diphthongi affines, quae antiquitus diverso sono efferebantur, posteris temporibus in communi linguae corruptela negligenter inter se confundi solebant, donec omni tandem discrimine sublato evaderet ingrata ista μονοτονία quae aures nostras tam vehementer offendit in depravata dialecto τῶν νῦν Ἑλλήνων. Ut loquebantur Graeculi ita scribebant. Hinc omnes Codices MSS. qui supersunt vetustissimi recentissimi fluctuant inter αι et ε et inter η, ι, ει (ιει), υ, οι neque quidquam est tam ridiculum quam in talibus librorum auctoritatem suspicere in quibus nihil est praesidii; multo magis penes editores est quomodo quodque vocabulum scribendum sit ex cuiusque loci sententia et certa Graecitatis analogia accurate definire. Neque res est adeo difficilis, dummodo omni superstitione vacuus sit animus et hoc agat.

Digitized by Google

Id ipsum tamen paucis contingit. Valet etiamnunc de multis editionibus inutili discrepantium scripturarum farragine „instructis" quod verissime pronuntiavit Dorvillius: (in Charit. p. 683) „In primis editionibus haec omnia fuisse retenta haud improbandum, etiam antiqui alicuius orthographiam codicis animadverti utilitatem habuerit, ut saeculi morem scribendi et inde fontes errorum cognoscere addiscamus, at tam futilis et quae numquam doctis scriptoribus probata sit et unis ignaris librariis debeatur lectio, cur propagetur"? Optima observatio et summo viro digna; quo magis mirandum est tralaticiam codicum auctoritatem ipsi Dorvillio interdum tam egregie imposuisse [1]). Qui, ut hoc utar, pag. 695 non criticos tantum sed ipsam sanam criticam prae vulgata lectione spernere mihi videtur ubi multo ambitiosius quam efficacius defendit libri MS. unici καινὴν istam ζηλοτυπίαν contra κενὴν ζηλοτυπίαν Charitonis. Atque plura proferre possem eiusdem farinae si tam utile quam facile esset. Sed nihil opus est virorum doctorum errores de industria exponere; ita statuamus: vocalium et diphthongorum orthographiam *nostri* ubique esse arbitrii; sic demum quid quoque loco verum sit quid falsum vel invitis membranis apud omnes harum rerum iudices liquido constabit. Iam quod contendo idoneis exemplis demonstrare conabor.

---

[1]) παραδείγματος ἕνεκα inspiciendum quod narrat de *pullariis* quibusdam in castris Persicis (p. 588) ubi cf. Cob. de Arte Interpr. p. 74 seq.

Digitized by Google

Ad versum 87 B. Odysseae

(σοὶ δ' οὔτι μνηστῆρες Ἀχαιῶν αἴτιοί εἰσιν
ἀλλὰ φίλη μήτηρ)

ubi Antinous duris verbis invehitur in Telemachum matremque Penelopam, variam lectionem nobis servavit Scholiastes supra quam dici potest absurdam sed eandem observatu in praesenti haud inutilem. Scilicet ascribit in margine: γράφεται καὶ ἀχέων, ἤγουν τῶν θλίψεων, quod uti lectoribus commendet docte addit: ἡ ὀξεῖα παρὰ τῷ ποιητῇ ἐκτείνει! Sic error errorem parere solet. Actum est de arte metrica ubi haec et similia probantur. Quocirca haud illepida res est Graeculorum ἀκρισίαν et ἀναισθησίαν interdum animadvertere; caeterum ineptorum grammaticorum commenta et deliramenta nihil prorsus moramur et πεδίον vel παιδίον, ἔλεον vel ἔλαιον scribemus ut maxime placuerit.

Admodum negligenter editum est Scholion non minus ineptum ad Od. II, v. 305:

καί τε τέο] τὸ τε ἀόριστον. διὸ καὶ ἐπὶ τοῦ κέ ὁ τόνος. Quantocyus repone ἐπὶ τοῦ καὶ ὁ τόνος. Schol. ad Ξ 398 ὁ ποιητὴς cecinisse fertur εἰ δὲ καὶ μὴ ἔλθῃσιν ἄναξ quod etiam peius est.

Schol. ad Ξ 199 fragmentum Callimachi in hunc modum constituit Porsonus:

ἔκ με Κολωνάων τις ὁμέστιον ἤγαγε δήμου
τῶν ἑτάρων (metri causa pro ἑταίρων)

ubi summo iure ἔκ με scripsit pro ἐκ μὲν et ὁμέστιον pro ὁμέστιος sed in fine praestare videtur lectio quam

Digitized by Google

habet optimus codex Harleianus: τῶν ἐτέρων. Quam nemo temere tentabit qui meminerit duos in Attica esse Κολωνοὺς [1]) τὸν ἵππιον καὶ τὸν ἀγοραῖον.

Ex hoc eodem fonte repetendus est error in Aristophanis Pluto v. 196 quem detexit rara ἀγχίνοια Dawesii (Misc. Crit. p. 206). Exhibent libri quos sequitur Hemsterhusius:

ἀλλ' ἢν τάλαντά τις λάβῃ τριακκίδεκα
πολὺ μᾶλλον ἐπιθυμεῖ λαβεῖν ἑκκκίδεκα
κἂν ταῦτ' ἀνύσῃ τετταράκοντα βούλεται.

Iam ante Dawesium laboranti metro subvenire conatus erat Kusterus solito remedio voculam γε inserens post ἀνύσῃ quae huic loco tamen minime convenit [2]) Hemsterhusio vero de violatis numeris nil suboluit; contendit κἂν ταῦτ' ἀνύσῃ omnino sine labe esse „quod supra scriptam habet in codice Dorvilliano interpretationem ἀναπληρώσῃ" (pag. 65 ed.). Nunc merito omnes credimus Dawesio evanuisse syllabam τε = ται a sequenti vocabulo τετταράκοντα absorptam ita ut legendum sit: κἂν ταῦτ' ἀνύσηται κ. τ. λ. nam sic demum et prosodiae et Attico loquendi usui satisfactum est.

Crebro peccatum in Thucydide ubi nullo iudicio confusa sunt κινὸς et κενὸς, ἐπικαίρως et ἐπὶ κέρως, φαίνειν et

---

[1]) Forma Κολωνὸς masc. gen. sing. num. unice vera est. Callimachum versificatorem magis quam poetam neque epicae linguae satis peritum (cf. imprimis Cob. in Mnemos. Tom. X, p. 389—438) merito reprehendit Suidas in voce.

[2]) Namque certa ubique est significatio particulae γε neque umquam a Graecis sine sensu metri tantum causa apponitur.

Digitized by Google

φέρειν [1]) etc. — Lib. I, Cap. 137 ὁ δὲ ναύκληρος ποιεῖ τε ταῦτα καὶ ἀποσαλεύσας ὕστερον ἀφικνεῖται κ. τ. λ. tres Codices perperam habent ποιεῖται ταῦτα.

Addo nuperrimum inventum Badhami quod tamen num verum sit subdubitare possis.

Editur Thuc. Lib. II, Cap. 89 (et sane unum et alterum in hoc capite superest in quo se exerceant critici) πολλὰ δὲ καὶ στρατόπεδα ἤδη ἔπεσεν ὑπ' ἐλασσόνων τῇ ἀπειρίᾳ. Requirit Badhamus [2]) ἔπταισεν verbum sexcenties cum aoristo πεσεῖν permutatum atque in cladibus et miseriis cum compositis et derivatis solemne sed idem usu venit verbo πίπτειν. Ut tragicos omittam, apud quos passim legitur πίπτειν ἀβουλίᾳ sive ἐξ ἀβουλίας saepissimeque verba σώζεσθαι et πίπτειν e regione inter se sunt opposita [3]), satis esse arbitror unicum testem producere locum notissimum ex Herodoto de classe Persarum (VIII, 16) ὁ γὰρ Ξέρξεω στρατὸς ὑπὸ μεγάθεός τε καὶ πλήθεος αὐτὸς ὑπ' ἑωυτοῦ ἔπιπτε. Luculenter apparet ni fallor ex forma imperfecti ipsum scriptorem usum esse verbo πίπτειν. Quod idem Thucydidem usurpasse sensu plane eodem quid obstat? Verum de permutatione αι et ε hactenus.

Nunc transeamus ad alterum horum mendorum genus, nempe ad errores natos ex confusione η, ι, ει (ιει), οι, υ.

---

[1]) Eadem confusio obscurat Plat. de Legg. II, p. 664 D: οὐ γὰρ ἔτι δυνατοὶ (οἱ γέροντες) φέρειν ᾠδάς ubi veram lectionem ex Hom. Odyss. Θ, 499 revocavit Naberi v. cl. sollertia.

[2]) Adhortatio, Sidney 1870.

[3]) Exempla praebet Sophoclis O. R. 50, Trach. 84, El. 429.

Digitized by Google

Quorum omnium aut eadem aut prope eadem apud sequiores erat enuntiatio [1]).

Primum omnium insigne exemplum delibabo ex eodem elegantissimo opusculo Badhami quod modo laudabam. Thuc. I, Cap. 18 m. leviter corrupta sunt vocabula δυνάμει γὰρ ταῦτα μέγιστα διεΦάνη. De verborum sententia nulla potest esse controversia sed id ipsum in causa fuit cur vitium manifestum non animadverterint critici. Quorum nemo tamen ut opinor admonitus negabit verbum διαΦαίνεσθαι quod significat *elucere*, *pellucere* ab hoc loco alienum esse. Quid multa? Numne scripsit ut solet: δυνάμει γὰρ ταῦτα μέγιστα δὴ ἐΦάνη? Mihi quidem ita esse videtur atque exercitationis causa alium locum emendabo similiter corruptum.

Od. Ξ Ulysses, iam redux in Ithacam, ne agnoscatur a Minerva mutatus est in senem mendicum et sic ab Eumaeo domo hospitioque receptus nuntium affert de reditu suo ipsius velut absentis. Nihil horum persuadet τῷ θείῳ συβώτῃ qui negat herum suum post tot annorum discidium in patriam umquam esse reversurum. Tum Ulysses:

> ὦ Φίλ' ἐπειδὴ πάμπαν ἀναίνεαι οὐδ' ἔτι Φῇσθα
> κεῖνον ἐλεύσεσθαι, θυμὸς δέ τοι αἰὲν ἄπιστος,
> ἀλλ' ἐγὼ οὐκ αὔτως μυθήσομαι ἀλλὰ σὺν ὅρκῳ
> ὡς νεῖται Ὀδυσεύς.

---

[1]) In inscriptionibus et in libris vetustissimis tamen permutatio Ī et EI orta videtur ex antiquo more Graecorum qui ει scribebant pro omni ι longo.

Digitized by Google

Deinde iurat per Iovem summum deorum perque mensam hospitalem qua receptus est:

ἦ μέν τοι τάδε πάντα τελείεται ὡς ἀγορεύω.
(τοῦδ' αὐτοῦ λυκάβαντος ἐλεύσεται ἐνθάδ' Ὀδυσσεὺς
τοῦ μὲν φθίνοντος μηνὸς τοῦ δ' ἱσταμένοιο)
οἵκαδε νοστήσει καὶ τίσεται ὅστις ἐκείνου
ἐνθάδ' ἀτιμάζει ἄλοχον καὶ Φαίδιμον υἱόν.

Duos versus quos uncinis inclusi spurios esse facile concedet qui totum librum diligenter perlegerit. In eandem autem suspicionem incidit Scholiastes (ad v. 162) praeterquam quod minus recte me iudice *tres* versus expungendos esse censet: ὑποπτεύονται οἱ τρεῖς ὡς ἀσύμφωνοι πρὸς τὰ πρὸ αὐτῶν καὶ ὡς ὕποπτοι καὶ ἄπιστοι. Etiam causam addit: πόθεν γὰρ ᾔδει εἰ καὶ ἐκ Δωδώνης ὑποστρέφων οὐ πλοΐσει; At neminem fugit haec ultima verba ut nunc sese habent vitiata esse. Quid igitur legendum? Si me audis εἰ καὶ ἐκ Δωδώνης ὑποστρέφων εὐπλοήσει, i. e. „unde enim scire poterat an redeunti prospera sibi futura esset navigatio"? Quam sanam et genuinam esse lectionem luce clarius apparet ex versibus 321—334 quos respexit grammaticus.

In optimis libris MSS. futiles istiusmodi scripturae quavis fere pagina occurrunt; sufficit quemlibet antiquum codicem inspicere et passim videbis ᾕδιον et ἴδιον, οἴκησις et οἶκισις, ἡμῖν et ἦ μὴν, (in iurisiurandi formula) [1])

[1]) Eximie si quid video nuper Badhamus in Thuc. Lib. III, Cap. 66 fine pro καὶ τὴν περὶ αὐτῶν ἡμῖν μὴ κτείνειν ψευσθεῖσαν ὑπόθεσιν restituit ἢ μὴν μὴ κτενεῖν.

Digitized by Google

πάρεστι et παρέστη ineptissimum in modum inter se confundi.

Idem prorsus valet de antiquissima permutatione ει et ι. Cuius rei ad testimonium vocare possem multos grammaticos et lexicographos, Photium imprimis et Hesychii in EI. Sed vix opus est; dudum enim de hoc corruptelae genere constat inter omnes. Quamquam haud raro apud doctos editores ut olim sic nunc ὁ νοῦς παρὼν ἀποδημεῖ ita ut pessimas quasque formas inde natas contra certum loquendi usum et analogiam tenaciter defendant. Quis nescit, ut hoc utar, ex substantivis neutrius generis in ος summa constantia derivari adiectiva in ης ut γένος, εὐ-γενής, μένος, δυσ-μενής, πάθος, ἀ-παθής etc.? attamen sunt qui membranarum auctoritate freti a νεῖκος formam φιλόνεικος ductam esse contendant. „Cras credam". Dicat aliquis: quid igitur? num invitis poetis mutandum φιλονεικής? Minime gentium. Namque multo erit et facilius et melius ubique revocare φιλόνικος, φιλονικία, φιλονικεῖν [1]) quae omnia sunt verba incorruptae Graecitatis.

Caeterum doctos et indoctos sine exceptione omnes in errorem induxit scribarum Ἀκαδημία unde factum ut hodie academĭam dicamus quae apud Graecos et Romanos semper appellata erat Ἀκαδήμεια, Academīa. (e multis locis vide Aristoph. Nubb. 1002, Cic. de Div. I, Cap. 13).

Alia exempla si quis quaerit praeter haec operae

---

[1]) Cf. Cob. Nov. Lect. p. 691.

Digitized by Google

pretium est adire Heringam qui in Obss. Crit. Cap. 31 multa vocabula eodem modo depravata de industria congessit.

In Iliade et Odyssea quoque aliquot vitiosae scripturae ex hoc fonte manarunt, quales sunt γείνεαι, γεινομένοισιν a nota forma γείνεσθαι sive γίνεσθαι sequiorum pro γίγνεσθαι, quas merito iam ante quinque lustra expulit Bekkerus nec tamen huius rei evidentiam posteris editoribus probare potuit.

Plane eiusdem πονηροῦ κόμματος mihi videtur aoristi forma εἶσα de qua nemo adhuc quod sciam disertis verbis monuit. Legitur e. c.

Od. H, v. 162

εἶσε δέ μ' εἰσαγαγοῦσα ἐπὶ θρόνου ἀργυροήλου.

Il. δ, v. 392

ἄψ οἱ ἀνερχομένῳ πυκινὸν λόχον εἶσαν ἄγοντες.

Il. ψ, v. 359

..... παρὰ δὲ σκοπὸν εἶσεν.

Reponendum esse suspicor ἶσε et ἶσαν. Nullo enim fundamento nititur librorum lectio, nulla est forma neque Homerica neque recentior unde εἶσα derivare possis; nullâ omnino analogiâ commendatur. Contra ea quid in tota Graecitate usitatius quam ἵζειν cum composito καθίζειν tam transitive quam intransitive positum? Cuius verbi aoristi forma integra aetatem tulit in pulcherrima oratione Phoenicis ad Achillem: (Il. ι, v. 488)

πρίν γ' ὅτε δή σ' ἐπ' ἐμοῖσιν ἐγὼ γούνεσσι καθίσασ.

Ad hanc lucem igitur exempli gratia maculam eluamus Il. ς, 389,

τὴν μὲν ἔπειτα καθεῖσεν ἐπὶ θρόνου ἀργυροήλου

Digitized by Google

imo καθῖσεν et sic omnia similia menda ad pristinam normam castigemus.

Insuper addo etiam apud Herodotum sic peccatum esse namque fieri non potest ut idem scripserit κάτισον Φυλάκους, (I, 89) αὐτὸν κάτισε (I, 88) et εἶσε ἄγων ἐς τὸν βασιλήιον θρόνον, (III, 61) ἄνδρας οἱ ὑπείσας κατ' ὁδόν (III, 126). Vide Cob. Var. Lect. pag. 88.

Diphthongorum ει (ῑ) et οι permutatio rationibus subductis ex soni affinitate potius quam ex literarum similitudine fluxisse videtur [1]). Passim in libris occurrit. Permiscentur e. c. οἱ et εἰ, οἴσομαι et εἴσομαι, οἰκέται et ἰκέται. Quarum lectionum utra sit potior in scriptis quae integra supersunt statim unusquisque intelligit; in fragmentis non item. Etsi hic quoque omnia quae ad singulos locos faciunt rimando et recte cogitando multa ad liquidum perduci possunt.

Turpissimum mendum etiamnunc post tot Dindorfii curas occupat locum Aristophanis (Acharn. v. 612). Legitur enim in novissima editione:

οἶδέν τις ὑμῶν τἀκβάταν' ἢ τοὺς χάονας;

Ubi unice verum esse εἶδέν τις editorem nescio quomodo fugit. Quam vim autem in talibus habeant verba ὁρᾶν et θεᾶσθαι satis notum [2]).

---

[1]) Cf. Thuc. II, Cap. 54.

[2]) Ad Hom. Od. Λ v. 568 Scholia habent acutam et veram observationem, sed stultum mendum officit evidentiae. Legitur πῶς οἶδε τούτους ἢ (Leg. καὶ) τοὺς λοιποὺς ἔσω τῶν Ἀιδου πυλῶν ὄντας καὶ τῶν ποταμῶν; Emendandum est πῶς εἶδε κ. τ. λ. Paullo infra v. 580 verbum εἰδέναι male abiit in εἶναι.

Digitized by Google

υ quoque interdum confunditur cum η et οι. Quod imprimis in pronominibus factum. Sexcentis locis codices σὺ pro σοὶ, ἡμεῖς pro ὑμεῖς positum exhibent vice versa. Verum in hoc genere cavendum est ne quae scribae vel lectoris vitia esse possunt haec omnia pronuntiationis esse opinemur.

Caeterum nonnulla observanda supersunt de literis β et θ quae in sequenti capite attingam.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

Agemus hoc capite de mendis natis ex scriptura unciali, quae omnia etiam in minusculam se insinuasse vix opus est ut moneam [1]). Deinde separatim tractabimus errores proprios characteri ligato.

Quid sint literae *unciales* copiose disputat Montefalconius (Palaeogr. Gr. pag. XI) „qua voce nescio an quispiam ante Hieronymum sit usus: de auctoribus loquor quorum scripta supersunt: siquidem ante H. adhibitam fuisse, ipse H. suadet in Praefatione libri Iob. Habeant, inquit, qui volunt veteres libros vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos vel *uncialibus, ut vulgo aiunt, literis* onera magis exarata quam codices. — De vocis origine non ita constat: plerique putant unciales

[1]) De cognatione quae intercedit inter maiusculam et minusculam cf. observationes quas utilissimo suo opusculo: „Anleitung zur Griechischen Palaeographie" adiecit Wattenbachius, Professor Heidelbergensis.

Digitized by Google

dictas literas fuisse eas quae pollicis crassitudinem haberent quia duodecim pollices, quibus pes constat, pro duodecim uncis habentur. — Utut vero est hodie sic appellantur eae in vetustis codicibus, quae priscam formam servant ac solutae sunt nec mutuo colligantur. Huiusmodi literae unciales observantur in libris omnibus ad nonum usque saeculum. Nono quippe saeculo finem fecerunt Graeci uncialibus literis scribendi ita ut ne unum quidem codicem viderim aut alicubi exstare compererim, qui post nonum saeculum exaratus fuerit, exceptis tamen libris chori et ecclesiae usui deputatis."

Haec de literis uncialibus universe dicta sufficiant. Singulas nunc quae huc faciunt observationes ordine recensebo.

Α, Δ, Λ facillime permutantur. Fac periculum in quovis codice: videbis hasce tres literas ingenii potius quam oculorum acie esse discernendas. Saepissime inde notae numerorum in quibus coniectando nihil efficitur funditus corruptae sunt. Vidi in antiqua editione locum grammatici nescio cuius ubi Demosthenes in *quarta* Olynthiaca dixisse fertur: Ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μόνον οὐχὶ λέγει φωνὴν ἀφιεὶς κ. τ. λ. — Talia ac similia σφάλματα neque inter legendum animadvertisse et edendo propagasse in Aldorum aequalibus facile ferimus; recentiorum editorum vero si quis rem non multo melius administraverit aut nimiam festinationem aut, quod etiam peius est, iudicii tarditatem, ne dicam absentiam, in causa fuisse merito suspicantur critici. In locis impeditioribus contra minime mirandum si εἷς ἀνὴρ οὐ πανθ' ὁρᾷ, sed omnino de editoribus sen-

Digitized by Google

tiendum quod Cicero in oratione pro lege Manilia de imperatoribus: „verum tamen laus illis est tribuenda quod egerunt; venia danda quod reliquerunt".

Palmaria emendatione correctus est locus in Aeschyli Supplicibus (cf. Dind. Praefat. edit. Oxoniensis (a. 1851) p. XXVIII). Exhibet codex unicus Mediceus v. 254:

καὶ πᾶσαν αἴδνης διάλγος ἔρχεται
Στρυμὼν, τὸ πρὸς δύνοντος ἡλίου κρατῶ.

Pro αἴδνης ex unciali scriptura eruendum AIANHC i. e. αἶαν ἥς. Praeterea διάλγος monstrum esse natum ex vocabulis δι' ἀγνὸς ligatis literis exaratis (cf. Pers. v. 497) acute vidit Wordsworthus. Vide quoque Stanleium ad Suppl. v. 683.

Editum esse apud Diodorum ἐν Αὐλίδι pro ἐν Λυδίᾳ. egregie observat Piersonus (ΛΥΔΙΑΙ — ΑΥΛΙΔΙ).

Apud Dion. Cassium (Lib. 48, p. 382) in libris est:

ἐγένετο μὲν καὶ ἐνιαυρίοις τοῖς παρθίνοις κίνησις.

Alii aliter locum tentarunt sed ipsam Dionis manum restituit Heringa noster correctione tam facili quam ingeniosa [1]). Unum vocabulum in duo separasse suffecerit. Nempe ἐν Ἰλ(λ)υρίοις [2]) τοῖς Παρθίνοις κίνησις ἐγένετο.

Feliciter nuper aequalis meus Polak eandem fere medicinam adhibuit Schol. ad Odyss. H, 318. Quaerit εἷς τῶν ἐνστατικῶν, ut pluribus aliis locis, cur Phaeaces

---

[1]) Heringa, Obss. Crit. Cap. II.

[2]) Litera λ in libris saepissime simplex occurrit pro duplici, duplex pro simplici. Idem observatur in ρ.

Digitized by Google

Ulyssem dormientem in patriam reduxerint. Respondetur: τοὺς ἀφικομένους ἀποστέλλουσι τάχιστα καὶ κοιμωμένους, ἵνα μὴ τὴν ὁδὸν μάθωσι. διὸ καὶ κοιμώμενον ἀποτίθενται τὸν Ὀδυσσέα διὰ τὸ μὴ ἰδεῖν εἰς ποῖον καὶ ἅμα ἀναπλέουσιν. Pro εἰς ποῖον καὶ ἅμα a Dindorfio recepta est levis correctiuncula Struvii: εἰς ποῖον λιμένα quam neuter horum re bene perpensa cum viris doctis communicasset. Recte Polak: „In hoc tamen monstro lectionis (καὶ ἅμα) latet verissima lectio haec: εἰς ποῖον κλῖμα ἀναπλέουσιν". Ubi enim κλι abiit in και una litera addita est ut verba bene Graeca saltem exirent.

Utar praesenti occasione ut ex Valckenaerii Schedis criticis MSS. in lucem protraham emendationem in Euripidis Iphig. Aulid. nondum editam. Est ῥῆσις notissima et prope decantata, quam multi tenent memoriter, ubi Agamemnon laudat fortunas eorum, qui obscuro loco nati sunt (v. 446 seqq.).

ἡ δυσγένεια δ' ὡς ἔχει τι χρήσιμον.
καὶ γὰρ δακρῦσαι ῥᾳδίως αὐτοῖς ἔχει
ἄνολβά τ' εἰπεῖν. τῷ δὲ γενναίῳ φύσιν
ἅπαντα ταῦτα.

Incerti haerebant olim viri docti in ultimis verbis. Tandem Musgravio probabile visum vocabula ἄνολβα et ἅπαντα transponenda esse, quem nunc omnes sequuntur. Quanto melius Valckenaerius:

τῷ δὲ γενναίῳ φύσιν ‖ ἅπαντα τλητά.

Qui dicendi usus compluribus exemplis illustratur ab eodem in Annott. in Eur. Hippolytum, pag. 257.

Digitized by Google

Apud Plutarchum in Quaest. Rom. 80 ipse lector faciat periculum in vocabulis καὶ σίαστον.

ΑΛ, ΛΑ, ΛΛ et M quoque conniventibus oculis vix inter sese distinguuntur ideoque hebetiores homines in incredibiles errores induxerunt. Talem, si quem alium, exstitisse bonum Photium, sanctissimum episcopum Constantinopolitanum post Bentleii epistolam ad Millium nemo mortalium dubitat. Lepide Patriarchae ἀκρισίαν traduxit Cobetus in Mnemos. Tom. VII, p. 475 seqq. Scripserat Photius κατὰ στοιχεῖον:

Λέμμα.
Λέμφας, πέπωκας.
Λέμφοι.

Sed λέμφας nihil aliud est nisi iocularis scriptura pro λέλαφας quemadmodum paullo supra legimus: λελάφασιν οἷον πεπώκασιν.

Ad hanc pulcherrimam emendationem confirmandam cf. locus Athenaei (XI, pag. 485 a) quem in calce elaboratae suae Photii editionis laudat Naberus.

In Sophoclis Oedipo Col. v. 1266 Polynicis verba sunt:

καὶ μαρτυρῶ κάκιστος ἀνθρώπων τροφαῖς
ταῖς σαῖσιν ἥκειν· τἀMà μὴ 'ξ ἄλλων πύθῃ.

Proba lectio debetur Musgravio. Olim edebatur τἄΛΛα (Vide Dobr. Adverss. II, p. 36). Atque sic ΑΛΛΑ et AMA alibi quoque haud raro commutata sunt (cf. imprimis Wesseling. ad Herod. p. 552). Quid notius quam ἅμα cum participio coniunctum: ἅμα ταῦτα ποιῶν, λέγων, etc.? Editur tamen apud Theophrastum περὶ

Digitized by Google

κολακείας: καὶ ἄλλα τοιαῦτα (mutatum pro ταῦτα) λέγων ἀπὸ τοῦ ἱματίου ἀφελεῖν κροκύδα. Ubi optime correxit Schneiderus: καὶ ἅμα ταῦτα λέγων [1]) sed editoribus ita necessario legendum esse persuasit: quidni fieri posse ut ἄλλα τοιαῦτα scripserit Theophrastus? Placent sua cuique. At iam apparet ut opinor quam utilis res sit in promtu habere rationes palaeographicas.

Γ saepissime confusum est cum Digamma Aeolico non multum dissimili figura expresso [2]). Digamma (w, v) in quavis lingua et dialecto facile transit in υ et β; mutatio in γ vero, licet aliis compluribus linguis propria, intra Graecitatis fines tamen, ni vehementer fallor, nulla idonea auctoritate confirmatur. Animadvertat mihi aliquis mirificas glossas Hesychianas quales sunt γακτὸς, κλάσμα; γάλι, ἱκανὸν; γανδάνειν, ἀρέσκειν; γατειλαὶ, ουλαὶ; γέαρ, ἔαρ; γέκαλον, ἥσυχον; γεστὰ ἔνδυσις; γία, ἄνθη [3]). Unum omnium absurdissimum est γοὶ, αὐτῷ. Iam quomodo corrigendum sit γοὶ, αὐτῷ, quod fide maius est, non fugit viros doctos; iidem tamen gravissimas regulas et theorias de Digamma superstruunt aliis scripturis aeque vitiosis [4]). Si me audis, Hesychius ut alia multa stolide sic haec quoque nil doli suspicatus in

---

[1]) Cf. Dobr. Adverss. I, pag. 161.

[2]) Cf. Tab. Heracleenses.

[3]) Vide Athen. Lib. XIV, p. 629, e:
ποῦ μοι τὰ ϝόδα, | ποῦ μοι τὰ (Γ)ϊα, | ποῦ μοι τὰ καλὰ σέλινα; | ταδὶ τὰ ϝόδα, | ταδὶ τὰ (Γ)ϊα, | ταδὶ τὰ καλὰ σέλινα |

[4]) Cf. e. g. quae ea de re disputat Ahrensius in notissimo libro *de Dialectis Graecis* ubi multa doctissime et rectissime observata sunt, multa quae nullam πειθανάγκην habent melius abessent.

Digitized by Google

Lexicon suum recepit. Non capiebat enim verba magnam partem epica, prisca et casca addito Digamma etiam magis obscurata, quae dudum abierant in desuetudinem. Haud mediocrem utilitatem tamen haberet omnes huiuscemodi errores sub unum conspectum ponere ut aliquanto rectius etiam statui posset quae vocabula olim scripta fuerint cum Digamma.

Γ, I, T, Π, TI, IT, P, Υ crebro inter se commutantur.

Od. Λ, 386: ἀγνὴ Περσεφόνεια γυναικῶν θηλυτεράων. Testatur Eustathius alios codices habuisse ἀγνὴ alios αἰνή. Quibus αἰνὴ placet comparant Il. ι, 457 (Ζεύς τε καταχθόνιος καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια). Praestat tamen lectio ἀγνὴ, solitum Proserpinae epitheton. Cf. Hymn. in Cer. v. 439. Etiam poetae Latini ita loquuntur (Virg. Aen. VI, 402, Eclog. IV, 10).

Sophocl. Philoct. v. 943:

προσθείς τε χεῖρα δεξιὰν τὰ τόξα μου
ἱερὰ λαβὼν τοῦ Ζηνὸς Ἡρακλέους ἔχει.

Legitur a nonnullis γέρα. Quod non est temere repudiandum. Verum cave ne coniungas γέρα — λαβών.

Dobraeus (Adverss. I, p. 356) apud Philemonem Stob. LVII, 219 Grot. 373, 50 Gesn. pro λαχάνων ἄγει τι felicissime restituit λαχάνων τ' ἀ(ι)εί τι, quod recepit Meinekius in Fragm. Poet. Comic.

Praeterea de I et Γ permutatis cf. quod annotavit Hemsterh. ad Lucian. T. I, p. 287, Brunck. ad Aristoph. Acharn. v. 1177.

Υ pro Γ positum terram interdum mutavit in articu-

Digitized by Google

lum. Egregium exemplum habes in Dionis Chrysostomi Orat. LXIV, p. 341, Reiske: ἡ τύχη.... Κροίσῳ δίδωσι χρυσὸν, Κανδαύλῃ γυναῖκα, Ἀριστείδῃ δικαιοσύνην, Λακεδαιμονίοις τὴν Αθηναίων θάλατταν. Acute L. Dindorfius: (Praef. ad D. pag. XXVI) Λακεδαιμονίοις γῆν, Ἀθηναίοις θάλατταν. Nam genitivus procul dubio debetur male sedulo correctori. Eodem modo fortasse peccatum est Schol. ad Odyss. Ξ v. 222.

ἔργον] ἡ γεωργία, ἀπὸ τῆς ἔρας. τὰς γὰρ λοιπὰς πράξεις ἔργα φάσκων ὁ ποιητὴς προστίθησι διασημαίνων ὡς ἔργον Ἄρηος.

Constat sane in nulla alia re turpius labi eruditos grammaticos quam in verborum derivatione. Ingens est exemplorum copia atque in diem augetur. Verumtamen in talibus quoque sunt certi denique fines. Nemo facile tam stultus fingi cogitarique possit qui in animum suum induxerit substantivum ἔργον ducendum esse ab ἔρα. Quae ne acutula quidem esset observatio. Multo magis suspicor hoc scholio τῶν νοῦν ἐχόντων τινὰ tam docte quam vere observasse ἔργα sine genitivo apud epicos absolute dici de *agricultura*. Coniicio igitur Scholiastem annotasse:

ἔργον] ἐπὶ [1]) Γῆς ἐργασίας κ. τ. λ.

ἐργασίας autem in ἔρας abiisse in scholiis marginalibus minutissimis literulis et compendiose scriptis nemo ut opinor mirabitur.

L. Dindorfii emendationi aliam quamdam subiungam nisi forte occupata est. In Plutarchi Reg. et Imperat.

---

[1]) De confusione ἀπὸ et ἐπὶ vide Cap. VI.

Digitized by Google

Apophth. Alex. XXII, Alexander narratur τῶν μισθοφορούντων Ἑλλήνων παρὰ τοῖς πολεμίοις ὑποχειρίων γενομένων τοὺς μὲν Ἀθηναίους κελεῦσαι ἐν πέδαις φυλάττειν ὅτι τροφὴν ἔχοντες ἐκ δημοσίου μισθοφοροῦσι καὶ τοὺς Θεσσαλοὺς ὅτι τὴν ἀρίστην κεκτημένοι οὐ γεωργοῦσι κ.τ.λ. Imo γῆν ἀρίστην κεκτημένοι.

Praeterea operae pretium est inspicere Bekkeri *Anecdota* I, p. 441:

Ἄπυστα, ἀνήκουστα.
ἄπυτοι, οἱ Ἀθηναῖοι ἀπὸ Θησέως.

Cobetus (Var. Lect. p. 4) ἄπυγοι. „Ridebantur A. ἄπυγοι et λισπόπυγοι. In Platonis fragm. 180 ap. Meinek. σκελετὸς, ἄπυγος, καλάμινα σκέλη φορῶν, libri ἄπυιος dederunt".

Inter Γ et Π in antiquissima scriptura discrimen multis locis aut nullum est aut certe perexiguum. Inspice e. g. Corpus Inscriptionum; passim videbis secundam literae II columellam minime contingere inferiorem lineolam horizontalem. Frequens inde errorum fons.

Recte Phileleutherus Lipsiensis (Bentleius) in fragmento fabulae incertae Menandri:

Ὅστις γενόμενος βούλεται ζῆν ἡδέως
ἑτέρων γαμούντων αὐτὸς ἀπεχέσθω γάμων,

pro Γενόμενος restituit Πενόμενος.

In Aesch. Prometh. v. 157:

(ὡς μήτε θεῶν μήτε τις ἀνδρῶν [1])
τοῖς δ' ἐπεγήθει)

[1]) Ex correctione G. Dindorfii pro ἄλλων. Vide Cap. V.

Digitized by Google

summam πειθανάγκην habet emendatio Elmsleii (in Mus. Cantabrig.) ἐΓεγήθει. Quod idem reperit Cob. (Var. Lect. p. 103). Nam praesentis et imperfecti forma huius verbi apud Atticos non occurrit [1]). Dubitat Dindorfius (Praefat. edit. quint.) cui scrupulum iniicit Choëph. 772:

ἄνωχθ' ὅσον τάχιστα γηθούσῃ Φρενὶ

quae lectio tamen valde incerta videtur.

Facile Π nascitur ex ΓΙ, ΤΙ vice versa si hae literae non iusto intervallo separantur.

Quale est vitium quod turbabat olim locum Pausaniae (Lib. III, Cap. 14) ubi Heringa noster ex vitiosa scriptura ЄΝΑΠΛΑΩΝ docte elicuit ἐν Ἀγιαδῶν (Obss. Crit. p. 201). Vide Hesychium in voce.

Similem errorem deprehendit magnus Porsonus in Euripidis Phoenissis v. 1277 (pag. 338 ed.). Verba sunt nuntii ad Iocasten:

ἀλλ' εἴ τιν' ἀλκὴν ἢ σοφοὺς ἔχεις λόγους
ἢ φίλτρ' ἐπῳδῶν, στεῖχ' ἐρήτυσον τέκνα
δεινῆς ἀμίλλης, ὡς ὁ κίνδυνος μέγας
καὶ τἄθλα δεινὰ, δάκρυά σοι γενήσεται
δισσοῖν στερείσῃ [2]) τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ τέκνοιν.

Ultimi versus ut nunc leguntur non apte cohaerent. Quod optime vidit Valckenaerius; expungendo vero medicinam affert nimis violentam. Contendit καὶ τἄθλα a Tragico

---

[1]) Cf. Hesychii glossa: ἐγεγήθει, ἔχαιρεν.

[2]) Ex coniectura Reiskii pro στερήσῃ. Malunt alii στερήσει.

Digitized by Google

scribi non potuisse et recte ille quoniam ἄθλον ex ἄεθλον contractum α habet natura longum, articulus autem cum α longo crasin facit durissimam. Sed, licet forma τἄθλα aliquo modo excusari et ferri posset, quis a Porsono admonitus non facile sibi persuadebit ipsum istum articulum solum verborum nexum obscurasse? Mihi quidem egregium videtur inventum et summi viri ingenio dignissimum ΚΑΠΑΘΛΑ id est κἄπαθλα, quod miror Nauckium in editione sua neque recepisse neque memorasse. Recte interpungendo unusquisque intelliget Euripidem dedisse:

> ..... ὡς ὁ κίνδυνος μέγας, —
> κἄπαθλα δεινά, δάκρυά σοι γενήσεται
> δισσοῖν στερείσῃ τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ τέκνοιν.

Revera *tragica* est haec ῥῆσις en in paucis pulcherrima.

I et P confundi ostendam exempla afferendo ex aureis Piersoni observationibus ad Moeridem. Mendum est ex antiquissima scriptura quod non librarios tantum sed grammaticos etiam et lexicographos subinde fefellit. Posuit Hesychius sua serie:

> Ὀτρέα (L. Οὐρέα) ἡμίονον.
> Ὄρεσι προβάτοις.

Οἴεσι recte Piersonus (ed. pag. 274).

Idem Hesychius exhibet: ῥερπίδα, ᾧ τὸ πῦρ ἐκκαίουσι; idem Piersonus ῥειπίδα, ῥιπίδα.

Pag. 128 eodem modo emendat fragmentum Aristophanis apud Ammonium: διέφθορας τὸν ὅρκον ἡμῶν. Suadet ille: τὸν οἶκον. Caeterum plura ex hoc genere collegit

Digitized by Google

in eleganti et faceta praefatione (pag. XXI) vir doctus, egregius Valckenaerii discipulus qui quamquam immatura morte correptus nova et vera tamen in bonis literis reperit et sicubi errat ingeniose certe errat [1]).

Γ et P confusio rectius explicatur ex scriptura minuscula (Cf. Cap. IV).

Γ, Υ, Τ. Locum in Xenoph. Anab. Lib. VI, Cap. I, § 10, ex Athenaeo correxit Cobetus: *τέλος δὲ τὸ περσικὸν ὠρχεῖτο καὶ κρούων τὰς πέλτας ὤκλαζε καὶ ἐξανίστατο.* Perperam autem apud Athenaeum pro *κρούων* legitur *κροτῶν* quod natum ex confusione Υ et Τ.

Praeterea exempla sint [2]) Hesychianum istud *ὀτρέα, ἡμίονον* quod modo laudabam et *Ὑρεῖ (τρεῖ) φοβεῖται.*

Ε, Θ, Ο, Σ invicem commutantur. Nempe Ε in libris MSS. formam habet Ε; Σ scribitur C. (Figurarum quibus nunc utimur nullum in codicibus apparet vestigium).

Hinc ante Casaubonum in lepido fragmento Hegesippi (Athen. Lib. VII, 290 b. et d.) sine sensu *εὑρὲ* pro *Σύρε* legebant. At omnino *Σύρος* vel *Συρίσκος τις* dramatis argumento convenit.

Imprimis in vocabulis compositis *εὐ-* et *συ-* frequenter permutata sunt. In Etymol. M. p. 550, 14. (*Νικοχάρης Λημνίᾳ· ἐπλέομεν ὦ κόρη ἐπὶ κῶς*) recte Hemsterhusius (ad Plut. p. 57) correxerat *πλέομεν*. Emendationem perfecit Porsonus (Adverss. p. 39) *ΛημνίΑΙC*

---

[1]) Vide e. c. quae disputat in *Σωδάριον* p. 348 seqq.

[2]) Exquisitam emendationem ex hoc fonte habet Piersonus in Moer. p. 298. Vide apud ipsum.

Digitized by Google

scribens, cum huius dramatis nomen semper in plurali laudetur. In aprico est ultimam literam C sequenti verbo πλέομεν adhaesisse. Vide praeterea quae plura habet Porsonus l. l.

Ἀεπάσιον, ἀσμένως, χαίροντα apud Hesychium in ἀσπάσιον mutandum esse „ne Guyetum quidem fugit" ut ait Ruhnkenius. Similia monstra in lexicis nemo non semel admonitus facile interpretari potest.

In Valckenaerii Schedis criticis emendatur Plutarchus (II, 1099 c.) ἰπολυτελέστερον τῆς θυσίας τὸ δεῖπνον. Recte monet τῆς οὐσίας esse reponendum [1]). Ibidem ex οὐ μάλωπα apud Lucianum (II, 349) elicitur θυμάλωπα. Elegantissime Casaubonus in Athenaeo p. 388 e. pro αἰεί μ' ὦ φίλε οὐ με, ΘΤΜΕ restituit.

Palmaria est emendatio Cobeti in vers. Euripid. apud Plutarchum *de audiendis poetis*. Quae lectio in editionibus circumfertur misere est depravata. Sed clara lux affulsit ex optimo quodam codice Veneto [2]) ubi scriptum exstat:

τί δῆτα οὖσιν δεῖ σε κατθανούμενον;

Addere iubet v. cl. punctum et lineolam ut audiamus ipsum Euripidem:

τί δῆτα ΘΥϹΙΝ δεῖ σε κατθανούμενον;

respondet Palamedes:

ἄμεινον. οὐδεὶς κάματος εὖ σέβειν θεούς.

---

[1]) Cf. Hemsterhusii, aliorum Miscell. Obss. Vol. IX, p. 149, 150.
[2]) Vide Cob. Orat. de Arte Interpret. p. 80 seqq.

Digitized by Google

Athen. XIII, p. 570 f. in archetypo Marciano est:

> θεὸν τὸ μεταξὺ μετὰ κορίσκης ἢ μετὰ χαμαιτύπης τὴν νύκτα κοιμᾶσθαι.

Wyttenbachius (ad Plut. Moral. p. 5 B.) suadet θεῖον μεταξύ. O profanum commentum tali viro indignum! Verum vidit Iacobsius: ὅσον τὸ μεταξύ. Iocose vir doctus, qui utramque coniecturam commemorat, sententiam suam ascribit iisdem verbis usus: ὅσον τὸ μεταξύ!

Vix dici potest quot locis Oratorum imprimis et Platonis fraudi fuerit similitudo vocum OCIOC (ὅσιος) et ΘЄIOC (θεῖος) cum derivatis. Quorum errorum pars sublata est, pars invitis criticis editorum sive incogitantia sive superstitione religiose propagatur. Quamquam quid facilius est quam clare discernere inter ὅσιος et θεῖος, quae quod literarum ductus attinet sane sunt simillima, usu et significatione vero valde disparia? Ὅσιος καὶ δίκαιος, e. c. ὅσιος καὶ νόμιμος ut coniungantur, Graecitatis naturae congruum sed θεῖος καὶ δίκαιος, θεῖος καὶ νόμιμος non item. Recte igitur iam Valckenaerius in Schedis criticis in Dinarchi oratione contra Aristogitonem (p. 107 l. 32) pro καὶ μὴ προδοῦναι τὴν θείαν καὶ (τὴν) εὔορκον ψῆφον reposuit τὴν ὁσίαν.

In idem incidit Dobraeus (Advers. I, p. 315) qui plura exempla huius confusionis conquisivit.

Thuc. III, Cap. 82 cum alia tum haec verba corrupta sunt: — καὶ τὰς ἐς σφᾶς αὐτοὺς πίστεις οὐ τῷ θείῳ νόμῳ μᾶλλον ἐκρατύνοντο ἢ τῷ κοινῇ τι παρανομῆσαι. Quae, quoniam de sententia constat, probabiliter coniectando multum sublevare posset aliquis, certa medela

Digitized by Google

sanare difficillimum foret nisi Dionysius locum nobis servasset. Exstat apud Dionysium: οὐ τῷ θείῳ καὶ νομίμῳ unde Valckenaerius noster in Schedis criticis eruit οὐ τῷ ὁσίῳ καὶ νομίμῳ atque eadem opera salutem affert Thucydidi [1]). Iterum idem in mentem venisse videmus Dobraeo (Adverss. I, p. 58). Fidelis igitur hac in re summorum ingeniorum est concordia, optimum veri sigillum.

---

[1]) Quam utile sit in Thucydide legendo fragmenta et flosculos quos haud parca manu scriptis suis inseruit Dionysius Halicarnassensis cum pulvisculo excutere saepe evidentissimis demonstratum est exemplis. Utar praesenti occasione ut in eodem Thucydidis capite 82 meas quoque qualescumque vires experiar. Verba quae correctis continuo praecedunt haec sunt: οὐ γὰρ μετὰ τῶν κειμένων νόμων ὠφελείας αἱ τοιαῦται ξύνοδοι, ἀλλὰ παρὰ τοὺς καθεστῶτας πλεονεξίᾳ. Luce clarius est quid nobilis rerum scriptor voluerit, licet veram suam sententiam simul et gravissime et brevissime expresserit. Quacum apte conferri possent v. c. quae de Aristide legimus apud Plutarchum (Reg. et Imperat. Apophth.): Ἀριστείδης δὲ ὁ δίκαιος ἀεὶ καθ' αὑτὸν ἐπολιτεύετο καὶ τὰς ἑταιρείας ἔφευγεν, ὡς τῆς ἀπὸ τῶν φίλων δυνάμεως ἀδικεῖν ἐπαιρούσης. At si quis vulgatam lectionem diligenter perpendere volet, intelliget, sat scio, quod equidem firmiter mihi persuasum habeo, neque Thucydidem neque quemquam alium sive oratorem sive historicum ita scribere potuisse. Primum enim oppositio inter ὠφελείας in Genitivo et πλεονεξίᾳ in Dativo neque usitata est neque iusta; tum *subiectum* ξύνοδοι, ni fallor, aegre caret suo *praedicato*. Quid multa? remedium reperisse mihi videor non nimis violentum. Suffecerit, si me audis, ultimum ἴῶτα *subscriptum* mutasse in *adscriptum* quo facto scriptoris manus extemplo pellucet. Neminem enim facile latebit ὠφελίας (ὠφελείας) levi errore exaratum esse pro ὠφελίαι (ὠφέλειαι) ita ut locus in hunc modum constituendus sit: οὐ γὰρ μετὰ τῶν κειμένων νόμων ὠφέλειαι αἱ τοιαῦται ξύνοδοι ἀλλὰ παρὰ τοὺς καθεστῶτας πλεονεξίαι.

Confirmatur haec emendatio diserto testimonio Dionysii qui locum

Digitized by Google

Σ et Θ confusio nonnumquam non tam ex figurarum similitudine orta est quam ex pronuntiatione. Θ enim eodem fere modo efferebant quo Angli *th*.

In Bionis Ἐπιταφίῳ Ἀδώνιδος v. 54 editur:

θνάσκεις, ὦ τριπόθατε, πόθος δέ μοι ὡς ὄναρ ἔπτη.

Quamvis lubrica res sit Bucolicorum emendatio, hic tamen non dubitandum me iudice quin cum Valckenaerio mutandum sit: πόσις δέ μοι ὡς ὄναρ ἔπτη. cf. v. 50.

Z saepe in minuscula nec non in unciali scriptura interdum commutatur cum T et Ξ (si media lineola non est horizontalis). Sic saepe ἐζήτει pro ἐξήτει reponendum vice versa. (cf. Dorv. in Charit. p. 57) Iocularis est error nec tamen infrequens si ipse Iupiter optimus maximus vertit in articulum. Quod e. g. factum esse apud Clem. Alex. Strom. V, p. 716, acute vidit Valckenaerius (Diatr. in fragm. Euripid. Cap. VII, p. 63).

Ἀμφίων λέγει τῇ Ἀντιόπῃ·
οὐδὲ γὰρ λάθρα δοκῶ
φωτὸς κακούργου σχήματ' ἐκμιμούμενον
σοὶ τήνδ' ἐς εὐνὴν, ὥσπερ ἄνθρωπον, μολεῖν.

„Causa vix videtur cur τήνδ' ἐς εὐνὴν dixerit: una litera mutata Iovis nomen ZHN[A] restituet":

---

his verbis interpretatur: ὁ μὲν νοῦς ἐστὶ τοιόσδε· Οὐ γὰρ ἐπὶ ταῖς κατὰ νόμον ὠφελείαις αἱ τῶν ἑταιρειῶν ἐγίγνοντο σύνοδοι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ παρὰ τοὺς νόμους πλεονεκτεῖν.

Videndus etiam Isocrates (Phil. V, 40) ubi dicit: οἶδα γὰρ ἁπάσας τὰς πόλεις ὠμαλισμένας ὑπὸ τῶν συμφορῶν, ὥσθ' ἡγοῦμαι πολὺ μᾶλλον αὐτὰς αἱρήσεσθαι τὰς ἐκ τῆς ὁμονοίας ὠφελείας ἢ τὰς ἐκ τῶν τότε πραττομένων πλεονεξίας.

Digitized by Google

σοὶ Ζῆν' ἐς εὐνὴν ὥσπερ ἄνθρωπον μολεῖν.

Prorsus eodem modo erratum a numismaticis qui in nummis Doricis Τὰν pro Ζὰν legebant.

H, K, N, Π TI, IT in utraque scriptura facillime inter se confundi possunt. Vix igitur ubique statuere possis utrum ex unciali locus labem contraxerit an ex minuscula. Quamquam huius rei quoque certa saepe adsunt indicia. Ἡνδάλιμος, ut hoc utar, monstrum lectionis pro κυδάλιμος unde natum sit clare apparet ex permutatione ν et υ atque eiusmodi quid usu venit formis σύγκλυδες et συνήλυδες identidem permixtis. E contra ex altero fonte procul dubio manarunt errores quos recenset Cobetus (Nov. Lect. p. 745) ubi H pro IC (ις) lectum. Nam ambabus his literis ις nullo spatio diremtis exit Kappa (Vide paullo infra).

Pro ἐξηρτισμένος apud Hesychium e. g. reponendum est ἐξηρτημένος (I, p. 375) et II, p. 233 ἐμβρόντητος pro ἐμβρόντιστος etc.

Idem valet de loco in Aristoph. Nubibus (v. 874 seqq.) inveterato mendo inquinato, ubi Socrates Phidippidem filium stulto patri non valde dissimilem his verbis deridet:

Ἰδοὺ „κρέμαι'" ὡς ἡλίθιον ἐφθέγξατο
καὶ τοῖσι χείλεσιν διερρυηκόσιν.
πῶς ἂν μάθοι ποθ' οὗτος ἀπόφευξιν δίκης
ἢ κλῆσιν ἢ χαύνωσιν ἀναπειστηρίαν;

Nam quid hic tandem sibi vellet ἡ κλῆσις, *testium citatio*, quae erat uniuscuiusque neque ullas quod sciam requirebat astutias? Mirum est neminem adhuc lucem

Digitized by Google

attulisse. Res est facillima. In schedis Valckenaerianis haec est brevis annotatiuncula:

ἢ κλῆσιν L. κήλησιν Ar. Nubb. 875.

Summum virum rem acu tetigisse arbitror. Nam illud ipsum vocabulum κήλησις et saepius legitur cum χαύνωσις et aliis vocibus eiusdem significationis coniunctum et perapposite hic additur. Uno tantum exemplo defungar sed insigni. In Platonis Euthydemo urbanissimae irrisionis lepore perfuso dialogo et quasi in recentiores sophistas scripto pag. 289 E. Socrates acriter petit τοὺς λογοποιούς, vanum rhetorum genus quod cunctis philosophis et politicis praestare sibi videbatur, utrisque tamen erat inferius. Audiamus ipsum. „καὶ γάρ μοι οἵ τε ἄνδρες οὗτοι οἱ λογοποιοὶ, ὅταν συγγένωμαι αὐτοῖς, ὑπέρσοφοι, ὦ Κλεινία, δοκοῦσιν εἶναι καὶ αὐτὴ ἡ τέχνη αὐτῶν θεσπεσία τις καὶ ὑψηλή. καὶ μέντοι οὐδὲν θαυμαστόν· ἔστι γὰρ τῆς τῶν ἐπῳδῶν τέχνης μόριον, σμικρῷ τι ἐκείνης ὑποδεεστέρα· ἡ μὲν γὰρ τῶν ἐπῳδῶν ἔχεών τε καὶ φαλαγγίων καὶ σκορπίων καὶ τῶν ἄλλων θηρίων τε καὶ νόσων κήλησίς ἐστιν, ἡ δὲ δικαστῶν τε καὶ ἐκκλησιαστῶν καὶ τῶν ἄλλων ὄχλων κήλησίς τε καὶ παραμυθία τυγχάνει οὖσα".

Dixerit forte aliquis: „Ambabus manibus speciosam Valckenaerii coniecturam amplecterer nisi novum impedimentum vehementer obstaret. Solemnis in talibus est particularum repetitio ἢ — ἢ quarum alteram omittere vix ac ne vix quidem licet". Illi ita respondeo ut particulam rectius adesse concedam, vulgatam lectionem tamen semel abiectam non desiderem. Fieri sane potest

Digitized by Google

ut unus vel plures integri versus exciderint; nam ut nunc locus sese habet evidentissimam emendationem salvo metro perficere frustra sudo. Verum fortasse monstrabit felicior hora.

H et Π permutatio in omnibus libris subinde occurrit. Primus hoc corruptelae genus perspexit celeberrimus Paulus Leopardus et plura exempla sedulo comportavit Valckenaerius in Schedis: *ἠέρι* e. c. pro *περὶ* (Dorv. in Charit. p. 171) *Πρόδοτον* pro *Ἡρόδοτον* apud Maximum Tyrium, *ἠιθόμην* pro *πιθόμην*, *ἠροπᾶν ἦμαρ* pro *πρόπαν ἦμαρ* apud Hesychium, etc. Omnino operae pretium est inspicere Mnemos. IX, p. 308 seqq. ubi videbis in Epistola ad Hebraeos XI, 4 non legendum esse *πίστει* ΠΛϵΙΟΝΑ *θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν προσήνεγκε τῷ θεῷ* sed ΗΔϵΙΟΝΑ i. e. *ἡδίονα*.

H et TI in utraque scriptura confunduntur, facillime autem in minuscula. Detexit hunc errorem Porsonus (Adverss. p. 95) in lepidissimo fragmento Hermiae quod aetatem tulit apud Athen. XIII, p. 563 e:

> *ἀκούσατ' ὦ Στώακες ἔμποροι λήρου*
> *λόγων ὑποκριτῆρες οἱ μόνοι πάντα*
> *τἀν τοῖς πίναξι πρίνη τῷ σοφῷ δοῦναι*
> *αὐτοὶ καταρροφεῖτε κ. τ. λ.*

Corrigendum *πρίν τι*.

In Hyperidis oratione *κατὰ Δημοσθένους* § 20 scriptum erat: *τοσοῦτον δ' ὦ ἄνδρες δικασταὶ, τοῦ πράγματος καταπεφρόντικε*. Rectissime Cob. Nov. Lect. p. 745 *καταπεφρόνηκε*. Idem Aristoph. Av. v. 23: *τί δ' ἡ κορώνη (τι) τῆς ὁδοῦ λέγει πέρι*; interpolatione deleta.

Digitized by Google

Contrario errore peccatum est in Euripidis *Alcestidis* v. 552 ioculariter corrupto, ut mirum mihi videatur quo pacto manifestum mendum editores ad hunc usque diem fugerit. Admetum, cum hospitio recipere vult Herculem, chorus oratione pedestri et tragoedia omnino indigna [1]) ita alloquitur:

τί δρᾷς; τοιαύτης συμφορᾶς προκειμένης,
Ἄδμητε, τολμᾷς ξενοδοκεῖν; τί μῶρος εἶ;

Laudo equidem diligentiam attenti nescio cuius lectoris, quem in margine vetustae editionis annotasse reperi: Ἢ μῶρος εἶ; Nam quis umquam pronomen τί sic cum adiectivo coniunctum vidit?

H saepe habuerunt pro N vice versa, si non appareret rectusne esset medius ductus an obliquus. Quod imprimis in nominibus propriis factum. Sic apud Diod. Sicul. T. I, p. 384 nomen matris Apollinis abiit in Ἀντοῦν.

Vide praeterea Porsonum (Adverss. p. 140) in Athen. pag. 700 f. in integrum restituentem versum Philyllii:

καὶ λύχνον δίμυξον οἴσω καὶ θρυαλλίδ' ἣν δέῃ.

Liber MS. habet ἠνδενί.

In Plat. Phaed. pag. 87 B, C. — καὶ εἴ τις ἀπιστῶν αὐτῷ ἀνερωτῴη. recte Dobraeus Adv. I, p. 151 ἀπισ-

---

[1]) Habet hoc Euripides interdum ut in summo eloquentiae studio sermonem quotidianum misceat verbis splendidis et magnificis. Vide γεύματος ἕνεκα Iphig. in Aul. v. 454 ubi ita loquentem facit Agamemnonem: εἶεν, τί φήσω πρὸς δάμαρτα τὴν ἐμήν;

Digitized by Google

τοίη. Erroris causa in aprico est. Aliter videtur Stallbaumio. At confer Hell. III, 4, 15 fine: ὥσπερ ἄν τις τὸν ὑπὲρ αὐτοῦ ἀποθανούμενον προθύμως ζητοίη.

K, cum altera pars esset ductus rotundi, bipartito divulsum saepe peperit IC = ις. Contrario errore ις literis nullo spatio diremtis coaluit in κ.

Perridiculum sane est σφάλμα ubi somnolenti monachi ἄνδρας ἀρίστους *optimos viros* mutant in *ursos* (ἄρκτους). At noli in librariis quidquam mirari si ipsos scriptores quoque dormitare videmus. Cuius rei exemplo est Athenaeus in Lib. XI, 500, c. qui totus in poculis nil doli suspicatus suavissime narrat etiam Dercylidam Lacedaemonium, virum callidissimum cognomine σκύφος appellatum fuisse idque commemorari ab Ephoro. Ὦ λῷστε Ἀθήναιε εἶτ' ἀνηγρόμην ὥς φησιν Ἀριστοφάνης. Cui enim ignotus Sisyphus: ὁ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν? quem revocat Porsonus (Adverss. p. 131).

Dextre olim Aeschyl. Choeph. v. 897 correxit Robortellus. In codice unico legitur:

ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἴδεσαι, τέκνον,
μαστὸν πρὸς ὠκὺ πολλὰ δὴ βρίζων ἅμα
οὔλοισιν ἐξήμελξας εὐτραφὲς γάλα.

Poeta scripserat πρὸς ᾧ σύ.

Palmaria quoque est emendatio Hirschigii in Luciani *Saturnalibus*. (§ 25) ἐγὼ μὲν πάλαι βασιλεὺς ὢν πέπαυμαι εἷς ὢν τοῖς παισὶ διανείμας τὴν ἀρχήν. Ubi codices εἷς ὤν, editores alii aliter. Ipse Lucianus dederat ЄΚΩΝ.

Ex hoc fonte perpetua confusio praepositionum ἐκ et εἰς de quibus vide Cap. VI.

Digitized by Google

Evanuit nonnumquam prior pars literae ut altera pars rotunda = Σ tantum supersit. Perperam e. g. καταστήσασθαι pro κατακτήσασθαι scriptum esse in Isocratis Panegyrico § 182 arguit optimus codex Urbinas atque simile vitium contraxit nomen proprium Κτησικλῆς apud Xenophontem in Hell. VI, 2, 10 quod male abiit in Στησικλῆς (cf. Cob. Var. Lect. p. 125).

Confunduntur inter se Φ, T, X, Ψ. Litera Φ antiquitus in hunc modum exarabant: ⊥.

Haud difficile est intellectu quibus potissimum erroribus vetus haec scribendi forma ansam dederit, nempe commutationibus cum T et X. Literarum Φ et T cum Ψ confusio autem in omnibus libris frequens. Pauca exempla in re notissima sufficiunt.

T male lectum apud Euripidem (Troad. v. 275) in apographis nonnullis peperit monstrum lectionis φοιτοβάμονος. Codex:

ἐγὼ δὲ τῷ πρόσπολος ἁ τριτοβάμονος χερὶ
δευομένα βάκτρου γεραιῷ κάρᾳ.

Sine ullo iudicio in multis libris promiscue leguntur vocabula τύχη et ψυχὴ cum compositis et derivatis. Quod vitium iam ab antiquioribus philologis Stephano, Gesnero, Cantero, aliis compluribus locis tacite correctum est. Multa collecta habet Dorv. in Charit. p. 422 nec non Valckenaerius in schedis, qui monet de adverbio εὐτυχῶς in εὐψύχως mutando in Stob. Floril. p. 576. Simillimo loco eamdem medicinam facit Cobetus (Var. Lect. p. 6) nempe Dionys. Halic. Lib. IX, 29. ubi Reiskius speciosius quam verius correxerat ἀτυχῶς. Nam

Digitized by Google

summa constantia apud Veteres milites dicuntur εὐψύχως μάχεσθαι, εὐψύχως ἀγωνίζεσθαι, *fortiter pugnare*, *fortiter certare*; ἀτυχῶς μάχεσθαι nusquam legitur, quod sciam. Etenim non ipsum proelium infelix habetur a populis fortibus et bellicosis sed tristes belli vices et eventus.

Caeterum apud Oratores, apud Demosthenem imprimis, quaedam loca supersunt ubi optima res est huius observationis in tempore meminisse. Licet enim cuiusvis sit discernere inter *animum* et *fortunam*, nimia festinatio tamen et saeva quam plurima edendi cupido haud raro acutos editores coecis reddit similes.

Vidi interdum apud lexicographos perfecta εἰληχέναι et εἰληφέναι confusa. Dubito tamen an ex similitudine φ et χ natus sit error. Nam aoristi quoque permutantur (cf. Cob. Nov. Lect. p. 558).

Φ et Υ quoque inter se confundi exquisito exemplo me docuit Valckenaerius. In quo memorando praesenti capiti finem impono et laetis auspiciis me accingor ad reliqua.

Servat Athenaeus (XIII, pag. 594 f.) pulcherrimum fragmentum Dicaearchi de monumento Pythionices τῆς καλῆς. Locus laudatus ita incipit. ταὐτὸ δὲ πάθοι τις ἂν ἐπὶ τὴν Ἀθηναίων πόλιν ἀφικνούμενος κατὰ τὴν ἀπ' Ἐλευσῖνος τὴν ἱερὰν ὁδὸν καλουμένην. καὶ γὰρ ἐνταῦθα καταστὰς οὗ ἂν ᾖ τὸ πρῶτον ὁ τῆς Ἀθηνᾶς ἀφορώμενος νεὼς καὶ τὸ πόλισμα ὄψεται παρὰ τὴν ὁδὸν αὐτὴν ᾠκοδομημένον μνῆμα κ. τ. λ. In his ᾖ — ἀφορώμενος Graecum non est. Cum Valckenaerio revocandae erunt tres literae fugitivae quas expulit similium vicinitas. Nam Dicaearchus dederat: ΟΥ ΑΝ ΦΑΝΗΙ.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

De charactere ligato dicturus quod iam supra monui idem hic praemittendum duco errores et peccata orta ex scriptura unciali omnia se insinuasse in minusculam; ubi deinde ab imperitissimo quoque variis modis explicata et *correcta* scilicet pro levibus vulneribus morbi exstiterunt vixdum sanabiles. Late grassata est infelix ista mutandi temeritas quae de singulorum vocabulorum et sententiarum pondere parum sollicita omnia paullo impeditiora impia manu resecabat, lacunas suis ineptiis λίαν δεινῶς supplebat. Sed haec alias, nunc de literarum figuris. Plurima autem vitia in scriptura minuscula nascuntur ex compendiis et siglis sive neglectis sive perperam intellectis; haec suo loco ordine tractabo. At praeterea alia nonnulla animadvertenda sunt quibus ansam dederunt literarum ductus et nexus. Quamquam lectorum potius quam codicum haec sunt errata. Quicunque artem palaeographicam doctus ab idoneo praeceptore aliquot libros cum cura excusserit horum bonam partem non videbit;

Digitized by Google

inexercitati hominis vero non est legere quod scriptum est. Operae pretium est insigniora quaedam indicare quae tamquam scopuli in legendo vitanda sunt.

Literae α, praesertim in finibus verborum, saepe hamulus adhaeret qui primo obtutu ab unoquoque habebitur pro ι vel υ. Inde saepe nominativi, dativi singularis, nominativi pluralis numeri cum magno sententiae detrimento permutantur ut τοιαῦται et τοιαῦτα, ὅσαι et ὅσα etc. Verum etiam in mediis vocibus cave hanc caudam prolixam: sunt codices in quibus πᾶς et παῖς vel intentissima acie vix distinguas.

Compluribus editoribus tamen haec observatio fraudi fuit cum semel admoniti ubique α suspicarentur, etiam ubi verum erat αι. Luculentum exemplum habet Bastius (p. 884) cuius Commentatio Palaeographica Gregorio Corinthio adiecta ante hos sexaginta annos ultimum edita paucis iuniorum philologorum in manibus est. Verbum Αἰγιάζειν (cf. Suid. in voce) in nescio quo lexico rhetorico ita explicatur: σὺ δ' αἰγιάζεις ἐνθαδὶ καθήμενος ἀντὶ τοῦ περιάγων λαλεῖς. Recte ille: ἀντὶ τοῦ περὶ αἰγῶν λαλεῖς.

Eadem de causa commutarunt α et αυ. Perite Reiskius restituit locum Libanii: (Vol. IV, p. 859, 26) καὶ πολλὰ ἂν εἴη λέγειν ἃ τοῖς (Cod. αὐτοῖς) ἀποροῦσι φίλων συνέζευκται χαλεπά. Confirmant hanc emendationem licet confirmationis non indigam meliores codices Parisienses teste Bastio.

Plane eiusdem praestantiae est coniectura H. Stephani in Plat. Phaed. ad fin.: οὐδένα ὄντινα οὐ κατέκλασεν. Ceteri κατέκλαυσεν.

Digitized by Google

Haec de α, αι, αυ sufficiant, si hoc unum epimetri instar addidero fuisse olim editorem Strabonis, qui ut plura ridicule sic Tom. VI, p. 554 [1]) satis stulte finxit variam lectionem διαύθεσιν. O lepidum caput, quam vellem adhuc in vivis esses ut nasum criticum tibi gratularer! Sed dudum descendisti unde negant redire quemquam atque vix ullus superest tui similis.

α productiore lineola instructum in multis libris etiam ω valde simile est. Bis inde peccatum apud Hesychium in voce Μήδεα [2]) ubi codex Marcianus habet μήδεα τεξερύσας λα ἢ κυσὶν ἅμα δάσουσ. Locum restituit Musurus in tempore recordatus Od. Σ, 87.

μήδεά τ' ἐξερύσας δῴη κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι.

Saepe α habitum est pro ει et ευ si linea quae adhaeret et superne et inferne iusto est longior. Nam in diphthongis ει et ευ litera ε induit formam exigui semicircelli.

Confusio α et ει autem imprimis occurrit in vocibus perantiquis et obsoletis quae a recentioribus librariis non recte intelligebantur. Quod egregie cernitur in verbis contractis. Τιμεῖσθαι qui scribat pro τιμᾶσθαι non reperias sed παλαμεῖσθαι pro παλαμᾶσθαι, μαρτυρεῖσθαι pro μαρτύρασθαι passim occurrunt. Utile exemplum habes in vocabulo ἄτη. Fugit indoctos scribas sequioris aevi quam vim habeat Homerica illa Ἄτη ἣ πάντας

---

[1]) τῆς δὲ κατασκευῆς τῶν ἱερῶν ἡ διάθεσις τοιαύτη. (Vide edit. Greg. Corinth. p. 952 in Indice).

[2]) Cf. Edit. Schmidtii in voce.

Digitized by Google

ἀᾶται. Hinc factum ut saepe in varia monstra abeat. Vide Valcken. ad Ammon. p. 248 in Scholio misere corrupto ibique cf. Schol. Veneta. Clare tibi apparebit pro ἢ εἴτε legendum esse ἡ ἄτη.

De α et ευ commutatis omnino adeundus est Montefalconius (Pal. Gr. p. 343) qui probabiliter me iudice emendat Herodotum (Lib. IV, 191) pro ἀκατάψευστα θηρία ἀκατάψαυστα *bestiae intractabiles* reponens. Fugit haec emendatio editorum diligentiam, quorum Bekkerus et Kruegerus sequuntur Reiskium perfunctorie ut solet θηρία καταψευστά corrigentem, Dietschio nihil suboluit.

Frequentissimus hic error est in adiectivis et substantivis ab α privativo et ευ incipientibus. Quis nescit, ut hoc utar, εὔλογον et ἄλογον e regione inter se esse opposita? Disputant tamen editores non sine ira et studio utrum horum quoque loco exaratum sit. Frustra; nulla enim est in talibus codicum auctoritas. Solo iudicio standum; τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά. Apud Lucianum de Sacrif. § 13 e. c. cum Cobeto corrigendum: καὶ τί γὰρ οὐκ ἀσεβὲς ἐπιτελῶν; (Vide Var. Lect. p. 121 ubi multa ex hoc genere affert.) et sic ubique legendum quod postulat verborum contextus.

β qua forma etiamnunc utimur scriptum nonnumquam habetur pro θ vice versa: βίου et θείου inde permutata, λαβεῖν et λαθεῖν [1]) fuit etiam qui pro participio aoristi verbi καθαίρειν legeret καβήρας.

---

[1]) Aristoph. Eccles. V, 26 ita editur a Dindorfio:

ἢ ϑαἰμάτια τἀνδρεῖα κλεψάσαις λαβεῖν
ἦν χαλεπὸν αὐταῖς.

Equidem praefero lectionem edit. Burmannianae λαθεῖν.

Digitized by Google

Longe frequentior est confusio huius literae cum υ (μ, η, κ, α, ω). Noli tamen propterea cum Montefalconio in animum inducere ipsam figuram β antiquiore forma his erroribus ansam dedisse, quos procul dubio peperit vitiosa sequiorum συνήθεια, β et υ (v, w) plane eodem sono efferentium. Sunt libri MSS. ubi *ypsilon* literam *bêta* funditus expulit.

Passim exarata sunt v. c. υάρυαροι, λαῦρον, αὐάκιον pro βάρβαροι, λάβρον, ἀβάκιον etc. Haud raro inde in Lexicis pro υ et β (Digamma Aeol.) editur μ ut μελδόμενος, ἐπιθυμῶν apud Hesychium pro Γελδόμενος.

γ ea est infelicitate figurae ut in utraque scriptura ad complures alias literas similitudine accedat. In minuscula parum differt ab:

ν, si haec litera iusto est longior atque infra lineam porrigitur. Hinc in pravis editionibus Aristophanis commutantur τουτονὶ et τουτογὶ (vide e. c. Thesmophor. v. 880). Eiusmodi est vitium quod deprehendit Bastius (Not. ad Greg. pag. 393) in Apollonii Dyscoli libro *de adverbiis:* εὐγαίας ἐβάλοντο imo vero εὐναίας ἐβάλοντο (= εὐνὰς i. e. ancoras).

Praeterea γ interdum non multum dissimile est ρ et ρι continuo ductu scriptis. Quod imprimis usu venit adiectivis in ήριος et ηγὸς exeuntibus. Alia huius confusionis exempla non sunt admodum multa.

δ, si duo puncta sibi imposita habet valet δι. Permiscentur inde δ' et δι (δὲ et διὰ). Idem factum ubi apex huius literae solito magis deorsum demissa erat. Finxit inde Villoisonus verbum ἀναδιιστάναι Graecis igno-

Digitized by Google

tum in Schol. Ven. ad Il. β, 278 ubi nemo hoc agens non legeret ἀνὰ δ' ἔστη.

Nonnumquam etiam pars superior pro nexu habita; altera pro ο. Quae aurea est observatio G. Koenii ad Greg. Cor. p. 120. Apud Hesychium e. c. εὐοίαιον legitur pro εὐδίαιον quod paullo supra habet. Passim confusa sunt adiectiva δίκαιος et οἰκεῖος quod nuper exquisito exemplo confirmavit Badhamus in Thuc. III, 68 locum corruptum ita constituens: καὶ ὅτι ὕστερον — — κατ' ἐκείνας οὐκ ἐδέξαντο — — τῇ ἑαυτῶν οἰκείᾳ βουλήσει. Eiusdem scriptoris eadem medicina locum sanavit Cobetus [1]) plura ex hoc genere alias se daturum pollicitus: (Lib. IV, 15) — ἔδοξεν αὐτοῖς ὡς ἐπὶ ξυμφορᾷ μεγάλῃ τὰ τέλη καταβάντας ἐς τὸ στρατόπεδον βουλεύειν παραχρῆμα δρῶντας ὅ,τι ἂν δοκῇ. Est sane aliquid inter δρᾶν et ὁρᾶν quamquam non omnibus ita visum est [2]).

De η et κ invicem permutatis dixi Cap. III. Hoc tantum addam in minuscula scriptura imprimis cavendos esse errores in coniunctione literarum κυ, ην, υυ (= βυ) etc. Qua de re operae pretium est adhibere eximias observationes Porsoni ad Hom. Od. Ξ v. 206, ubi Scholia dant variam lectionem ἠνδαλίμοισι pro κυδαλίμοισι.

Litera ι in variis libris diversissimis modis indicatur: adscribitur, subscribitur, suprascribitur, saepe etiam plane

---

[1]) Cf. Obss. in Hyperid. Orat. funebr. p. 51 seq. ubi v. c. multa exempla addidit ex Schedis Valckenaerianis.

[2]) Miror Apollonium Dyscolum sagacissimum grammaticum scripsisse: τὸ δρῶ σημαίνει καὶ τὸ ὁρῶ ἀφ' οὗ καὶ τὸ δρωπάζειν καὶ τὸ δραπέτης ὁ ἐπιβλέπων. (περὶ Ἐπιρρ. Bekk. An. 549, 22).

Digitized by Google

negligitur. Inde nominativi et dativi primae declinationis frequenter confusi. Exemplum dedi Cap. III, in Thucyd. Lib. III, Cap. 82. Caeterum in compluribus codicibus ι notari solet uno vel duobus punctis. Id cum fit, facillime spiritus et accentus omittuntur, certaque lux unice exspectanda ἐκ τῶν συμφραζομένων.

λ ut sponte intelligitur facillime commutatur cum χ. Idoneum exemplum exhibet Dorvillius (Animadv. in Charit. p. 330) in vocibus ἕληται et ἔχηται. In notis numerorum potissimum multi errores ex hoc fonte fluxerunt.

De ξ et ζ vide Cap. III.

Saepe uno ductu exarantur literae τρ et τι qui ductus simillimus esse potest figurae ξ. Hinc crebra permutatio inter ἐξ et ἔτι, ἄξιος et αἴτιος. Animadvertendum quoque quod monet Cobetus de verbis ὀξύνειν et ὀτρύνειν inter se mixtis, (Nov. Lect. p. 80 seq.) exemplo allato ex secundo libro Maccabaeorum IX, 7: πῦρ πνέων τοῖς θυμοῖς καὶ κελεύων ἐποξύνειν τὴν πορείαν (L. ἐποτρύνειν).

Errorem ex hoc genere mihi deprehendisse videor in Scholiis ad Od. N. 174. Verba facit rex Alcinous in hunc modum:

ὦ πόποι, ἦ μάλα δή με παλαίφατα θέσφαθ' ἱκάνει
πατρὸς ἐμοῦ, ὃς ἔφασκε Ποσειδάων' ἀγάσεσθαι
ἡμῖν, οὕνεκα πομποὶ ἀπήμονες εἰμὲν ἁπάντων.

Ad ultima verba Scholiastes annotat: ὅτι καὶ τῶν μὴ ἀναξίων ἀπήμονες, μὴ ἐῶντες αὐτοὺς πημαίνεσθαι. Fateor haec ut nunc sunt aliquo modo explicari posse, si

Digitized by Google

ad ἀναξίων suppleveris πημαίνεσθαι, sed verisimilius mihi videtur τῶν μὴ ἀναιτίων.

ρ facillime confunditur cum ο, quoniam tenuis uncinulus huius literae sub rotunditate παραλόγως crassa vix cernitur. Nomen proprium Οἴνων inde quod legebatur olim apud Isocratem ex Harpocratione correctum in Ῥίνων (vide Harp. in voce cum nota Maussaci).

τρ si uno ductu exarantur, τ interdum a ρ absorbetur. Quod ut tibi persuadeas prorsus necesse est varias scripturas ex ipsis libris MSS. observasse, nam formam τρ neque facile describerem neque typis repraesentari posset. Multo adhuc frequentior est contrarius error. Cuius luculentum exemplum praebet Xenophon (Hell. Lib. VI, 5, 7) ubi ante Dobraeum edebatur: ἡττώμενοι δ' οἱ περὶ τὸν Πρόξενον καὶ Καλλίβιον ἐν τοῖς θεάτροις. Legendum: ἐν τοῖς θεαροῖς [1]). Nam θεωροὶ certa analogia Dorice appellantur θεαροί. Aliud exemplum habemus in Isocratis Panathenaico § 50. Exhibet Urbinas: εἰς τὴν ναυμαχίαν τὴν ποιήσασαν τροπὴν ἅπαντος τοῦ πολέμου, reliqui codices ῥοπὴν, quod longe praestat.

Φ quoque ex figura τρ natum esse, quod commemorare oblitus est Bastius, non mirum est. Hinc factum ut compluribus locis pro —τραγεῖν —Φαγεῖν legatur. Primus quod sciam hunc errorum fontem aperuit Cobetus in Nov. Lect. p. 175 ubi affert duo exempla ex Plutarcho de quorum emendatione liquido constat ex Livio et I. Obsequente. Vide apud ipsum.

---

[1]) Cf. Dobr. Adv. I, pag. 129.

Digitized by Google

σ iunctum θ, π, χ, facile negligitur. Contra minutus hamulus literis θ, π et χ additus interdum perperam habetur pro σ. Exempla in perfectis passivis dedit Dorvillius in Charit. p. 403.

In Schol. ad Od. N. v. 10 seqq.

(εἵματα μὲν δὴ ξείνῳ εὐξέστῃ ἐνὶ χηλῷ
κεῖται καὶ χρυσὸς πολυδαίδαλος, ἄλλα τε πάντα
δῶρ' ὅσα Φαιήκων βουληφόροι ἔνθαδ' ἔνεικαν.)

mendum inest manifestum.

Observat Scholiastes: εὐπρεπῶς δὲ τὸν λόγον ἐξήνεγκεν οὐκ ἄντικρυς φήσας ὅτι ἔλαβες μὲν καὶ ἐσθῆτα καὶ χρυσὸν καὶ ἄλλα δῶρα, νῦν δὲ καὶ τρίποδά σοι καὶ λέβητα κατ' ἄνδρα προθήσομεν κ. τ. λ. Neminem opinor latet quid velit noster, at nihilominus doctissimos editores fugit vitium dictionis. προθήσομεν λέβητα ridiculum est; tu adde σ: προσθήσομεν.

De Φ et Ψ invicem permutatis vide Cap. III. Variae lectiones nonnumquam afferuntur ὄφεις et ὄψεις, φίλοι et ψιλοί etc.

Saepenumero solum Φ legitur pro $\Phi\rho$ e. g. τάφος pro τάφρος, (vide var. lect. ad Lycurgi Leocrat. p. 153, 27) φονικῶς in margine librorum pro φρονίμως, ἔφασαν pro ἔφρασαν etc. Contra omnem analogiam pertinaciter defenditur φατρία pro φρατρία [1]). Neque rarus con-

[1]) Eodem modo ρ excidit post $\sigma\tau$: ἀβέλλει, στέφει habet Hesychius. Lege sodes: ἀΓέλλει, στρέφει.

Digitized by Google

trarius error. Causa inde est repetenda quod φ et ρ per unam notam tachygraphicam connectuntur. (Cf. Valck. ad Herod. p. 207). Simile quid valet de φ et φθ. Erratum imprimis in verbis recentioribus inauditis. Abiit e. c. ἔφθη in ἔφη, —φθείρομαι in —φέρομαι etc.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

Usus compendiorum, si unum N finale exceperis per lineolam praecedenti literae suprapositam expressum, invaluit saeculo nono simul cum charactere ligato. A quo inde tempore quidquid scribendi laborem aliqua ex parte minuere potest cupide a librariis frequentatur. At compendiis multo antiquiores occurrunt paucorum aliquot substantivorum abbreviationes iam in vetustissimis libris solemnes, quae ex Bibliis caeterisque Christianorum scriptis in reliquos codices invectae sunt. Quasnam voces potissimum abbreviare placuerit res ipsa clamat. Nempe praeter nomina propria ut Ἰησοῦς, Ἰσραὴλ, Δαϋὶδ, Ἱερουσαλὴμ alia, quae quavis pagina plus semel leguntur, haecce imprimis: θεὸς, ἄνθρωπος, πατὴρ, μήτηρ, υἱὸς, πνεῦμα, κύριος, σωτὴρ, οὐρανὸς, σταυρός. Fit abbreviatio summa constantia in hunc modum: omittuntur literae mediae; reliquis supraponitur linea horizontalis, e. c.: $\overline{\text{ANOC}}$ = ἄνθρωπος, $\overline{\Theta\text{C}}$ = θεὸς, $\overline{\text{KC}}$ = κύριος,

Digitized by Google

$\overline{\text{ΠΗΡ}}$, $\overline{\text{ΜΗΡ}}$, πατὴρ, μήτηρ, $\overline{\text{CΗΡ}}$ = σωτὴρ, $\overline{\text{CΤΡΟC}}$ = σταυρός. Porro: $\overline{\text{ΤΤ}}$ = υἱοῦ *in genitivo*, $\overline{\text{ΧΩ}}$ = χριστῷ, $\overline{\text{ΟΤΝΟΝ}}$ = οὐρανόν. Nec non in compositis et derivatis: φιλ$\overline{\text{ανος}}$ = φιλάνθρωπος, φιλο$\overline{\text{πρις}}$ = φιλόπατρις, $\overline{\text{σρια}}$ = σωτηρία, $\overline{\text{πρικιος}}$ = πατρίκιος, $\overline{\text{προκλῆς}}$ = πατροκλῆς, $\overline{\text{στρωσαι}}$ = σταυρῶσαι etc. Iam videamus quantis erroribus lapsi sint viri eruditi lineam illam horizontalem aut incaute negligendo aut alieno loco apponendo.

Saepe $\overline{\text{ΘC}}$ vertit in pronomen relativum, saepe deus in pronomen. Nota est membranarum discrepantia in Pauli Epist. I ad Timotheum Cap. III ad fin. καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. θεὸς (alii ὃς) ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι κ. τ. λ. ubi θεὸς, quae est vulgata lectio, vehementer turbat verborum ordinem et nexum. At neque solum pronomen admodum placet. Ideo cogitavi an forte legendum esset: θεὸς ὃς. Nil tamen statuo; videant docti theologi hoc admoniti saepe a male sedulo correctore pro dittographia deletam esse quae non erat. Cuius rei nitidum exemplum praebent priores editiones Stob. Ecl. Phys.

Quaestio ponitur T. II, Cap. I, 17 an homo natus sit πρὸς κοινωνίαν necne. Respondetur πρὸς κοινωνίαν. ὑπὸ τίνος; ὑπὸ τῆς Φύσεως. Τίνος οὔσης καὶ ποίας; διοικούσης τα ὅλα. Sequitur deinde: καὶ πότερον οὔσης ἢ μή; Parum aut nihil in philosophis mirandum, sed vix cogitari potest qui tam stolide disputaret. Revoca cum Cobeto literas quae exciderunt θῦ post πότερον et statim omnia sana erunt et perspicua.

Lubet nunc ex Schedis Valckenaerianis in lucem protrahere emendationem si non „certo certiorem", ut aiunt,

Digitized by Google

at valde speciosam tamen. Paucis philologis ignota est epistola Menecratis medici Syracusani ad Philippum (Athen. Lib. VI, pag. 289, d) his verbis incipiens: Μενεκράτης Ζεὺς (nam alter Iupiter sibi videbatur Menecrates, ipse quoque coetu non mortalium sed deorum cinctus (cf. pag. 289 b et c)) Μενεκράτης Ζεὺς Φιλίππῳ χαίρειν. Cui Philippus ita per iocum respondit: Φίλιππος Μενεκράτει ὑγιαίνειν. Comparat se satis ridicule novus deorum hominumque pater cum rege Macedoniae, ita scribens: τοιγαροῦν σὲ μὲν Μακεδόνες δορυφοροῦσιν, ἐμὲ δὲ καὶ οἱ μέλλοντες ἔσεσθαι. Ζεὺς γὰρ ἐγὼ αὐτοῖς βίον παρέχω.

Vix ultima explicari possunt. Probabiliter autem Meinekius inseruit ἀεὶ quod saepe excidit. Adde Valckenaerianum θεοὶ pro οἱ et habebis verba bene Graeca. Omnino vide apud Athenaeum quae deinceps narrantur.

Haec de coelicolis, iam videamus de mortalibus.

Qui *homines „sapientes"* (ανοι) erant interdum describentium incuria conversi sunt in *dementes* et *asinos* (ἄνους, ὄνους) nil tale commeriti. — Multa ex hoc corruptelae genere felicissime restituit Bentleius, quem vide sis in Menandr. p. 66 ubi ex $\overline{\text{ANΩ}}$ elicit genuinum ANΩ ἄνω, aliquanto melius quam Grotius qui mutaverat βροτῶν.

Eadem medicina adhibenda vitiosae scripturae quam ad hunc usque diem alit locus Athenaei (Lib. VIII, p. 367 b) Colloquuntur οἱ δειπνοσοφισταὶ more suo seque invicem admirantur. Gravissimas quaestiones ponit Ulpianus, primum de adiectivo τακερὸς, deinde de usu verborum νᾶπυ et σίναπυ etc. Per quam ingeniose respondet ὁ καλὸς Ζωίλος, cum alia nova docens tum insignes

Digitized by Google

quasdam etymologias in medium proferens. Quem animi causa audiamus disputantem: *νᾶπυ μὲν γὰρ οἷον νᾶφυ, ὅτι ἐστέρηται Φύσεως· ἀφυὲς γὰρ καὶ μικρὸν ὥσπερ καὶ ἡ ἀφύη. σίναπυ δ' ὅτι σίνεται τοὺς ὤπας ἐν τῇ ὀδμῇ, ὡς καὶ τὸ κρόμμυον ὅτι τὰς κόρας μύομεν.* Finem autem facit his verbis: *ἡμεῖς μὲν οὖν σοι τοσαῦτα, καλὲ ἄνθρωπε, ζητοῦντι συνεισευπορήσαμεν, σὺ δὲ ἡμῖν ἀποκρίνασθαι δίκαιος εἶ... κ.τ.λ.* Sed nemo neque Graece neque in alia lingua quod sciam sic amicum compellat: *ὦ καλὲ ἄνθρωπε*, quod ridiculum est. Quid igitur? Repone sodes *ὦ καλὲ Οὐλπιανέ*. Quod quo facilius tibi persuadeas sic habeto: excidisse aut evanuisse aliquot literas; ....*ανὲ* quod supererat a librario habitum esse pro *ἄνε*, *ἄνθρωπε*.

ανων nonnumquam sine linea horizontali exaratum habuerunt pro *ἀνδρῶν* vel *ἄλλων*. Nec non contrarius error occurrit.

Elegans est emendatio G. Dindorfii in Aesch. Prom. v. 155 ubi restituit:

ὡς μήτε θεῶν μήτε τις ἀνδρῶν
τοῖς δ' ἐγεγήθει [1]).

Nam quod olim edebatur *ὡς μήτε θεὸς μήτε τις ἄλλος* multis de causis stare non potest.

Manifesto vitio locum ex Xenoph. Symposio II, 24, liberat Cobetus: *Δοκεῖ μέντοι μοι καὶ τὰ τῶν ἀνδρῶν σώματα ταὐτὰ πάσχειν, ἅπερ καὶ τὰ τῶν ἐν γῇ φυομένων.* Imo *τῶν ἀνθρώπων*, nam prorsus idem valet

[1]) Vide supra, Cap. III.

Digitized by Google

de corporibus muliebribus. Vitium pervetustum esse patet ex Athen. pag. 504 c, ubi iam comparet.

Nomen substantivum κύριος (ΚC) saepissime a scribis inepte in libros invectum est. Vocativus κύριε (κε) imprimis noto pronuntiationis vitio nascitur ex καί. Qui error in Sacra Scriptura, praesertim in V. T. tam levis est quam excusabilis. Simile quid accidit pio monacho qui quum in codice Athenaei legisset νῆες κε *naves quinque et viginti*, oscitanter depingeret: νῆες κύριε i. e. naves. *o Domine!*

Postea eandem abbreviationem usurpabant pro adiectivo κύριος. Unde factum ut formas κύριοι, κυρίαι (κοι, και) ante καὶ tamquam dittographias expunxerint. Vide e. c. locum Luciani in Tyrannicida § 10: ἀλλὰ πάντα εἰρήνης μεστὰ καὶ πάντες οἱ νόμοι ..... καὶ ἐλευθερία σαφὴς καὶ δημοκρατία βέβαιος καὶ γάμοι ἀνύβριστοι κ. τ. λ. ubi οἱ νόμοι suum sibi adiectivum vehementer requirunt. Salutem attulit vir doctus rescribendo: οἱ νόμοι κοι (κύριοι) καὶ etc.

Quam ridicule labi possit qui ΤC quod significat υἱὸς acceperit pro integro vocabulo vel pueri intelligant. Istiusmodi enim ἀκρισίᾳ filii familias frugi et abstinentes repente sues facti; quodque etiam insolentius est, regii iuvenes evadunt qui ante porci erant.

Inspiciendum e. c. Apoll. Soph. Lexic. Hom. in voce ἀνακτορίῃσι ubi ita legimus [1]):

ἀνακτορίῃσι, ταῖς τοῦ ἀνάκτου(ος) οἷον τοῦ δεσπότου· δειπνήσας ἅμ' ὑεσσιν ἀνακτορίῃσιν ἐπέσθω (Od. O. 397)

[1]) Edit. Bekk. 1833.

Digitized by Google

ἔνιοι δὲ ταῖς ἡγεμονίαις συνεπακολουθείτω. ὁ δὲ Ἀρίσταρχος (?) τοῖς τῶν ἀνακτόρων υἱᾶσι· ὅπερ ἐστὶ βέλτιον (?). Satis mendose, ut luce clarius apparet ex ipso rerum, quae in Odyssea narrantur, contextu et ex Hesychio (in voce); neque mirum locum Apollonii plus semel a criticis commemoratum esse si quis vellet lepide traducere incredibilem scribarum editorumque incogitantiam. Illud equidem miror G. Dindorfium virum celeberrimum, qui Schol. in Od. pag. 616 verba Apollonii ad calcem adiecit, manifestum errorem non correxisse.

$\overline{\text{ΠΗΡ}}$ = πατὴρ ($\overline{\text{πρὸς}}$, $\overline{\text{πρὶ}}$, $\overline{\text{πρα}}$, $\overline{\text{περ}}$) in vocativo praesertim cum πὲρ et περὶ commutarunt.

Eur. Ion. v. 587 seq.

(ἐγὼ δὲ τὴν μὲν συμφορὰν ἀσπάζομαι
πατέρα σ' ἀνευρών· ὧν δὲ γιγνώσκω πέρι
ἄκουσον.)

Dobraeus vir maximae auctoritatis mavult $\overline{\text{περ}}$ i. e. πάτερ, quod mihi tamen suspectum est. Certiora quaedam congessit Valckenaerius in Schedis. Edebatur e. c. apud Hesychium: Ἐνηὴς, σώφρων, ἀγαθὸς, ἀληθὴς, πατρῷος. Acute Bentleius: πρᾶος.

Perpetua est in libris confusio nominum Προκλῆς et Πατροκλῆς ($\overline{\text{προ}}$κλῆς). Apud Herodotum v. c. (Lib. VIII, 130) tyrannus Epidaurius perperam olim appellatus est Patrocles (Cf. Pausan. II, 28).

Similibus erroribus ansam dedit forma $\overline{\text{ΜΗΡ}}$ ($\overline{\text{ΜϵΡ}}$) μήτηρ cum derivatis.

$\overline{\text{ΟΤΝΟϹ}}$ = οὐρανὸς (nec non $\overline{\text{ΟΤΝΙΟϹ}}$ = οὐράνιος) doctos editores probe decepit. Praeclarum exemplum

Digitized by Google

habet G. Canterus in Nov. Lect. Lib. VIII Cap. 19 ubi ita scribit: „In Responsis quae (in Iust. Mart. Lib.) orthodoxis dantur, quaestione sexagesima quaeritur, si nocte sol lateat, cur coelum sphaericam figuram non habeat. Deinde similitudo profertur; cuius prior pars deest, posterior sic effertur: *οὗτος οὖν ὃς ἐπίκειται τῇ γῇ*, nobis autem haec ita videntur restituenda, *οὕτως οὐρανὸς ἐπίκειται τῇ γῇ*, nam ουνος olim recte scriptum ab imperitis in *ουν* et *ὃς* fuit divisum. Itaque recte huc quae subiunguntur conveniunt, *καὶ ὁ μὲν διὰ τὸ κοῦφον ἀνωφερής· ἡ δὲ διὰ τὸ βαρύ ἐστι κατωφερής.*"

Si quis huius emendationis persentiscit evidentiam et praestantiam idem ille suo pretio aestimabit coniecturam Valckenaerii in Aeschyl. Eumenid. v. 567. Incipit dea Minerva hisce verbis:

κήρυσσε, κήρυξ, καὶ στρατὸν κατειργαθοῦ,
⏑ — ⏑ εἶτ' οὖν διάτορος Τυρσηνικὴ
σάλπιγξ βροτείου πνεύματος πλημπουμένη
ὑπέρτονον γήρυμα Φαινέτω στρατῷ.

Ita pulcherrima *ῥῆσις* editur a Dindorfio, qui, pace v. cl. dictum esto, lacunam in secundo versu parum probabiliter indicavit; nam licet irreparabile damnum huic loco illatum esset, *ἐκ τῶν συμφραζομένων* tamen liquido constaret ab *εἶτα* ordiendum esse. *Εἶτ' οὖν* tritissima quidem est particularum coniunctio sed alio sensu usurpatur huic loco minime idoneo. (Vide e. c. Eurip. Heracl. v. 149 .... *εἶτ' οὖν εἴτε μὴ γενήσεται*) Enixe enim verborum contextus postulat: *primum* ..... *deinde*, nihil

Digitized by Google

aliud. Quid multa? ope Valckenaerii manus poetae revocari potest. Est in Schedis haec brevissima annotatiuncula: „Aesch. Eum. 570 οὖν L. ουνου. Quod ingeniosissimum inventum statim mihi placebat. Re bene perpensa ut spero, numeros in hunc modum constituo:

— — | ⏑ — | ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ — | ⏑ — | ⏑ — [1])
κᾆτ' οὐρανοῦ διάτορος (ἡ) τυρσηνικὴ
σάλπιγξ βροτείου πνεύματος πλημμελὴς
ὑπέρτονον γήρυμα φαινέτω στρατῷ.

Excidit ut videtur syllaba longa in pede quarto quod sexcenties factum cum litera H ante TI et TT (Vide Cap. III). Hanc igitur inserui de meo. Quod rectene an iniuria fecerim iudicium permitto lectori, qui si erravero velim meliora me doceat.

Litera X cui implexum est ρ significat χρόνος vel χριστὸς vel χρυσὸς vel χρυσόστομος. Confusionis exempla rara sunt at occurrunt tamen, singularis ἀνκισθησίας indicia. Fuit v. c. qui Platonis locum ex libro de Legg. II, p. 672 C. ita legeret [2]): ἐν τούτῳ δὴ τῷ χρυσοστόμῳ ἐν ᾧ μήπω κέκτηται τὴν οἰκείαν Φρόνησιν. Eiusdem erat paullo infra exarare: χρυσόστομος γὰρ οὐ διδάσκει Φρόνησιν ἀλλὰ Φύσις καὶ ὀρθὴ δίκιτα!

Crebro librarii utuntur nota quadam tachygraphica quae hic typis repraesentari non potest. Ponitur pro

---

[1]) Metri causa cf. e. c. Eurip. Troad. v. 501:
πέπλων λακίσματ' ἀδόκιμ' ὀλβίοις ἔχειν.

[2]) In Appendice Florent. Parall. Sacr. Io. Damasc. a Gaisfordio Stob. Floril. subiecto p. 4, c et p. 14, r. Cf. Cob. Var. Lect. p. 14.

Digitized by Google

Ἀπόλλων, ἥλιος, χρυσός. Etiam Apollonius hoc compendio indicatur unde mihi nata est suspicio Apollonium Sophistam interdum cum Heliodoro confusum esse [1]).

Accuratissime de hoc corruptelae genere egit Gaisfordus ad Hesiodum in Poët. Gr. Min. I, 113. Sustulit olim vitium Dindorfius in Harpocratione v. θεμιστεύειν ubi Stanleius (ad Aeschyl. Eum. v. 2) divinarat πρὸ τοῦ Φοίβου. Alia exempla qui huius observationis memor est facili negotio deprehendet in Bekkeri Anecdotis.

De commutatione ἥλιος cum χρυσὸς agens Bastius exempli instar p. 834 laudat locum Eustathii de Persis haec dicentis: τιμῶσι δὲ καὶ τὸ πῦρ καὶ δι' αὐτὸ τὸν χρυσὸν (L. τὸν ἥλιον) οἷα πυροειδῆ ὄντα.

---

[1]) Vide Cap. VII de compendiis Nom. Propr.

Ad ὑδροφόρια in Photii Lexico (ἑορτὴ πένθιμος Ἀθήνησιν ἐπὶ τοῖς ἐν τῷ κατακλυσμῷ ἀπολομένοις ὡς Ἀπολλώνιος.) Naberus v. cl. annotat: (Tom. II, p. 237) „Hesychius. Miror hic laudari Apollonium; fortasse aliud quid latet". Cogitabam an pro Apollonio legendum esset Heliodorus quem constat non carmina Homerica tantum sed comoediam Atticam quoque attigisse (Vide quae disputat Naberus Tom. I, p. 121). Ea me opinio fefellit ut nunc video; nihil mutandum est. Idem Apollonius qui hic commemoratur etiam aliunde notus. Nempe ex Athenaeo p. 191 f. ubi ita legimus: «καὶ παρ' Αἰγυπτίοις δὲ τὸ παλαιὸν σωφρονικῶς διεξήγετο τὸ τῶν συμποσίων γένος, καθάπερ εἴρηκεν Ἀπολλώνιος ὁ περὶ ἑορτῶν γεγραφώς.

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

Quandoquidem innumeris erroribus ansam dedisse constat perpetua praepositionum permutatio, huius rei causas paullo enucleatius si potero exponam. Multas egregias observationes, quae huc faciunt, dedit Bastius in Epistola critica ad Boissonadium atque in notis ad Gregorium; nonnulla vero, quae scire magnopere refert, non attigit. Post Bastium e professo de praepositionibus egit Walzius (Epist. ad Boiss. 1831). Is, ut libere dicam quod sentio, „post μεγάλα Bastii δεῖπνα" non dedit exquisita quaedam τεμάχη sed indigestam discrepantium lectionum farraginem. Insunt quaedam optimae notae sed maior pars rectius abesset. Namque in observationibus palaeographicis praecipuam vim habet illud μηδὲν ἄγαν. Lubenter igitur hanc πουλυμαθημόσύνην effugio satis habiturus si ea dedero quae explorata sunt et luculentis testimoniis confirmantur.

Praepositio ἀνὰ confunditur cum σύν. Quemadmodum ἐν et εὐ- et συ- (σὺν) saepe tam simili forma scribuntur

Digitized by Google

ut distingui nequeant, sic ἀν- et σὺν et εὐ- quoque interdum iudicio magis quam oculis nobis discernenda sunt. Exempli causa maculam indicabo et simul abstergebo, quae adhuc obsidet Plutarchum in vita Fabii Cunctatoris Cap. XVI, med. Ἦν δὲ δι' αἵματος πλῆθος, ᾧ συνεπέφυρτο τὴν κεφαλὴν καὶ τὸ πρόσωπον, οὐ πολλοῖς διάδηλος. Quantocyus repone ἀνεπέφυρτο quod verbum in talibus unice verum esse non opus est docere.

Apud Hesychium legitur συμφῦσαι, ἀνάψαι.

Editor ad calcem: „Malim συνάψαι. Quod certo est certius.

Praeterea ἀνὰ confunditur cum ἀπὸ (ἀν' — ἀπ') quod inveteratum vitium esse potest ex scriptura unciali. Ἀναγορεύειν et ἀπαγορεύειν ipse plus semel permutata vidi in codice Thucydidis Leidensi (cf. Koen. ad Gregor. p. 494). Hic illic editiones exhibent ἀπαγγέλλειν *nuntiare* ubi verborum sententia enixe postulat ἀναγγέλλειν *renuntiare*. Apud Herodotum e. c. Lib. I, Cap. 127. Ἀστυάγης δὲ ὡς ἐπύθετο Κῦρον πρήσσοντα ταῦτα, πέμψας ἄγγελον ἐκάλεε αὐτόν. ὁ δὲ Κῦρος ἐκέλευε τὸν ἄγγελον ἀπαγγέλλειν. Numne ἀναγγέλλειν iussit nuntium?

ἀνὰ pro ἀντὶ legitur vice versa in verbis compositis ἀνατρέπειν, ἀναστρέφειν et ἀντιστρέφειν. Errores permultos in Luciano ex hac confusione natos indicavit Cobetus Var. Lect. p. 146. Luc. *pro lapsu in salutando* § 10 e. c. legendum est: καὶ ὁ Πτολεμαῖος Σελεύκῳ ἐπιστέλλων σαφῶς ἀντέστρεψε τὴν τάξιν. Nam ἀναστρέφειν simpliciter significat *vertere*, ἀντιστρέφειν, quod hic requiritur, *in contrarium vertere*.

Similiter scribae peccarunt in Xenophontis Cyropaediae

Digitized by Google

Lib. VIII, Cap. 8, 13: *καὶ τοῦτο παντάπασιν ἀνέστραπται* et Lib. II, Cap. 2, 5 ubi genuinam lectionem servat liber Guelferbyt. Paris.

ἀπὸ, *ἐπὶ* et *ὑπὸ* plurimis locis inter se permutata sunt. Cuius rei imprimis in causa sunt compendiola praepositionum *ἀπὸ* et *ὑπὸ* literae *ζ* non valde dissimilia, unde *ζ* interdum pro *ἀπὸ* lectum est. Hinc confusio verborum *ἀπαιτεῖν* et *ζητεῖν*, *ζῆν* et *ἀποζῆν*. Cf. Xenoph. de Rep. Athen. I, 15.

Schol. in Odyss. Ξ 334 b. *ἐμὲ πρὶν ἀπέπεμψε*] *νοητέον δὲ ὅτι ὕστερον μετὰ τὸ ἀποστρέψαι τὸν Ὀδυσσέα ἐκ τῆς Δωδώνης κ. τ. λ.* Procul dubio legendum est *ὑποστρέψαι*, *post reditum* Ulyssis.

Schol. in Odyss. Ξ 521 b. *παρεκέσκετ' ἀμοιβὰς*] *παρέκειτο ἡ χλαῖνα ἀμοιβὰς οὖσα, ὅ ἐστιν ὑπ' ἀμοιβῇ κειμένη.* Imo *ἐπ' ἀμοιβῇ*.

Ad v. 269 seqq. Σ.

(αὐτὰρ ἐπὴν δὴ παῖδα γενειήσαντα ἴδηαι
γήμασθ' ᾧ κ' ἐθέλῃσθα, τεὸν κατὰ δῶμα λιποῦσα)

Scholiastes annotasse fertur: *ἵνα μὴ ὑπὸ πατρώου ἐξουσίας γένηται ὁ παῖς*. Dederat, ut opinor: *ἐπὶ πατρῴῳ ἐξουσίᾳ*, *sub patria potestate*.

Idem compendiolum *ζ* = *ἀπὸ* parum differt a compendiis praepositionum *κατὰ* et *ἐκ*.

Ad Odyss. Ξ, 398 scholium editur ridiculum in modum vitiatum et interpolatum.

εἰ δὲ καὶ (Lege sis *κε*) *μὴ ἔλθῃσιν ἄναξ*] *εἰ δὲ μὴ ἔλθοι ὁ σὸς ἄναξ* (*ἤτοι ὁ Ὀδυσσεὺς*) *ὡς ἀγορεύω τοὺς σοὺς δμῶας* (*ἤτοι δούλους*) *ἐπισσεύας* [*αὐτοῖς*] (*ἤτοι κε-*

Digitized by Google

λεύσας) βαλέειν ἐπὶ πέτρας ἐμὲ θέλησον (ἤτοι κατακρημνίσαι) etc. Suspicor in Cod. Q exaratum esse βαλέειν ἀπὸ πέτρης quod natum ex κατὰ πέτρης compendiose scripto. Nam ipsa Homeri verba a Scholiasta citantur.

Permutatio ἀπὸ et ἐκ non solis scribis sed saepe etiam debetur correctiunculis eorum qui veterem linguam ad vitiosam sui temporis συνήθειαν refingere studebant. Imprimis notanda est confusio verborum ἀποβαίνειν et ἐκβαίνειν cum derivatis.

ἀπὸ interdum perperam legerunt pro παρὰ vice versa quoniam in nonnullis libris ἀπὸ per compendium scribitur: $\overset{\pi}{\alpha}$, παρὰ: $\overset{\rho}{\pi}$. Pessime, nam in compendiosa scriptura literae suprascriptae semper fere pronuntiandae sunt *post* eas quae positae sunt in ipsa linea, v. c. $\overset{\nu}{o} = ὄνομα$, $\overset{o}{\nu} = νόμος$, νόμισμα, νόημα. Prorsus idem valet de $\overset{\pi}{\varepsilon} = ἐπὶ$ et $\overset{\varepsilon}{\pi} = περί$. Palmaria est emendatio Pluygersii v. c. in Xenoph. Memorab. II, 1, 22 in somnio Herculis: τὴν Κακίαν κατασκοπεῖσθαι θαμὰ ἑαυτὴν, περισκοπεῖν δὲ καὶ (vulgo ἐπισκοπεῖν) εἴ τις ἄλλος αὐτὴν θεᾶται.

Vix distinguuntur duo compendia quibus κατὰ et μετὰ designari solent.

Schol. in Odyss. Ξ 513 ἐπημοιβοί τε] ἤτοι ἃς ἀμείψασθαί τις δύναται ἢ καταλαμβάνειν εἴποτε χειμὼν εἴη κ. τ. λ. Recte unus Cod. Vindebon. habet μεταλαμβάνειν.

In Demosthenis Orat. πρὸς Φαίνιππον περὶ ἀντιδόσεως § 3 pro ἀναγκαῖόν ἐστιν εἰς τὴν ἐμὴν πειρᾶσθαι

Digitized by Google

καθιστάναι Cobetus (in Obss. ad Hyperidis Orat. funebr. p. 41) reponendum censet μεθιστάναι. Plura exempla sub unum conspectum posuit Var. Lect. p. 281.

πρὰ et πρὸς in multis libris plane eodem modo exarata sunt. Itaque quid ubique legendum sit ex certo loquendi usu et cuiusque loci sententia definiendum est. Crebro in hac re erratum quamquam lectori qui hoc agit facillima est optio.

Schol. ad Odyss. N, 14.

(ἀλλ' ἄγε οἱ δῶμεν τρίποδα μέγαν ἠδὲ λέβητα
ἀνδρακάς.)

Ita editur: ὁ λόγος κατ' ἄνδρα νῦν προδῶμεν, ὕστερον δὲ ἐκ τοῦ δήμου ἀναπραξώμεθα. Ecquis dubitare potest quin προσδῶμεν corrigendum sit? Est hercle aliquid inter προδοῦναι quod significat *prodere, omni auxilio destituere* et προσδοῦναι, *impertiri, dono dare.* Si plura vis exempla, multa habet Dorvillius in Charit. p. 144 seq.

Praeterea πρὸς saepe designatur sigla quadam perantiqua quam hic repraesentari non potuisse magnopere doleo. Invitus nunc lectorem relego ad tabulas Schaeferi editioni Gregor. Corinthii adiectas (Tab. II, 3). Ignorabant hanc notam recentiores librarii eamque aut omnino negligere solebant aut aliam quamlibet praepositionem suo arbitratu substituere. Quo factum ut πρὸς in ἀπὸ, ὡς, εἰς, κατὰ, in alia omnia abiret.

Non me taedebit ad hanc observationem stabiliendam hic pro parte describere venustam epistolam Alciphronis, quae inscribitur Πανόπῃ Εὐθυβούλῳ I, 6 (Vide Cob. Var.

Digitized by Google

Lect. p. 43). Levem et inconstantem maritum *suo* more increpat uxor dotata, *οὐ μία τῶν ἀσήμων*, ut ipsa ait.

Fideli arte rhetor muliebrem naturam tam feliciter imitatus est ut Gallam aliquam *τῶν νῦν* audire tibi videare vel Italam non veterem Graecam. Aliquantisper audiamus ipsam.

„Tu vero oculis levis et inconstans et ad omnem voluptatem effusus, neglectis me et communibus liberis, Galene et Thessalione, Hermionensem amas inquilinam, quam malo amantium Piraeus excepit. Comissatum enim ad eam venit maritima iuventus, aliusque aliud donum affert; at illa non aspernatur et Charybdis instar haurit. Tu vero ultra piscatoris conditionem largus non maenas affers vel mullos, imo dedecori habes; sed aetate provectior, tot annos coniux, liberorumque non admodum parvolorum pater, removere rivales cupiens, reticula Milesia et Siculam vestem aurumque insuper ei mittis. Aut igitur ab ista insolentia desiste aut me scias ad patrem redituram" etc.

Sed iam satis est. Sufficiunt haecce ad id quod volo. De industria autem dedi versionem latinam Bergleri ut insigni exemplo ostenderem quam saepe eruditi editores, licet verborum sensum universe rite perspectum habeant, in tritissimis loquendi formulis tamen absurdissima quaeque librariorum *σφάλματα* duro stomacho concoquant. Si quis Graecitatis haud omnino ignarus, at in Alciphronis epistolis hospes, versionem Berglerianam exercitationis causa Graece redderet, errores quos editores aequo animo ferunt, sponte vitaret.

Ad omnem voluptatem effusus e. c. quis non verteret *πρὸς πᾶσαν ἡδονὴν ἐκκεχυμένος?* editores tamen cum scribis *κεχυμένος*.

Digitized by Google

Comissatum enim ad eam venit sine ullo dubio significat: κωμάζει, κωμάζουσι γὰρ πρὸς αὐτὴν, libri MSS. et editiones εἰς αὐτὴν quod defendit Dorvillius in Charit. p. 401 [1]).

Aliusque aliud donum affert, Graece dicitur: καὶ ἄλλος ἄλλο δῶρον προσφέρει, codices ἀποφέρει. Editoribus nil suboluit.

Paullo infra: .... *Siculam vestem, aurumque insuper ei mittis.* Graeca haec magis sunt quam Latina: καὶ χρυσίον ἐπ' αὐτῷ πέμπεις sive προσπέμπεις quod praestat. Editur εἰσπέμπεις.

Inter compendia quibus designantur παρὰ et περὶ discrimen est perexiguum ($\pi^{\subset} = \pi\alpha\rho\grave{\alpha}$, $\pi^{\in} = \pi\epsilon\rho\acute{\iota}$). Nempe in compendio παρὰ litera π sibi suprascriptam habet figuram quae valet αρ. Eadem, licet paullulum immutata, facile agnoscitur in compendio γὰρ (Vid. Cap. VII). Alterum compendium nihil aliud est quam π cum ε formae antiquioris. Hoc a scribis intelligebatur, illud non item. Hinc factum ut multo frequentius invenias περὶ pro παρὰ quam παρὰ pro περὶ positum. Et quidem locis complusculis pro περὶ certa medela reponere παρὰ tantum non cuiusvis est; in contrario errore indagando vero maxima cautione opus est, ubi vel eruditissimum quemque subinde videas deficere.

In Schol. ad Od. N, 142, nemo non primo obtutu videt legendum esse: τάχα δ' ὅτι καὶ παραπεμφθῆναι

---

[1]) Iniuria, nam loci quos ex Aristophane et Lysia affert aut diversae naturae sunt aut aeque corrupti.

Digitized by Google

αὐτὸν ὑπ' ἄλλων οὐχ ὑπ' ἐκείνων ἔδει. Editur tamen: περιπεμφθῆναι.

Paullo infra ad v. 215: ἀλλ' ἄγε δὴ τὰ χρήματ' ἀριθμήσω] οὐχ ὡς μικρολόγος, ἀλλ' ἐκ τούτου τεκμαιρόμενος εἰ καὶ περὶ τὴν ἀγωγὴν τῆς πατρίδος ἠδίκησαν αὐτόν. Tu mecum corrige παρὰ τὴν ἀγωγήν.

Aristoph. Ran. v. 1068 cum Piersono ad Moer. pag. 416. ex Cod. Vatic. recipiendum est:

κἂν ταῦτα λέγων ἐξαπατήσῃ, περὶ τοὺς ἰχθῦς ἀνέκυψεν.

Idem habet Scholiastes, qui laudat Eupolidem. Vulgatam lectionem tuetur Dobraeus.

In Platonis *Symposio* p. 221 B. Socrates depingitur in pugna apud Potidaeam „ἠρέμα παρασκοπῶν καὶ τοὺς φίλους καὶ τοὺς πολεμίους." Temere Astius adstipulante Hermanno: περισκοπῶν; quos merito non secutus est Stallbaumius.

Praeterea παρὰ et περὶ, πρὸ et πρὸς invicem permutantur (cum ἀπὸ et ἐπὶ vide supra). Quod tamen aliquanto rarius reperias.

Exemplo sit locus in Xenoph. *Memorab.* I, § 22. ὁρῶ δὲ καὶ τοὺς εἰς φιλοποσίαν παραχθέντας (Codd. προαχθέντας) κ. τ. λ. ubi manum scriptoris restituit Cobetus (Nov. Lect. p. 685). Idem eadem opera monet de Demosth. Prooem. pag. 1458 Steph. ubi confusa videbis προάγειν, *incitare* et παράγειν *in fraudem inducere*.
ὑπὸ et ὑπὲρ commutata sunt, ut passim, in Eurip. Hec. v. 665.

καὶ μὴν περῶσα τυγχάνει δόμων ὑπὲρ
ἥδε.

ubi Codices nonnulli exhibent ἀπὸ et ὑπό.

Digitized by Google

Menda ex hac confusione nata, quoniam praepositiones ὑπὸ et ὑπὲρ nihil prorsus inter se habent commune, plerisque locis correcta sunt. Interdum vero nimia corrigendi sedulitate pro vitio habitum quod non erat. Valet hoc de coniectura Dobraei, quam numquam ipse edidisset, in Eurip. Herc. fur. v. 296 pro

ἥξειν νομίζεις παῖδα σὸν γαίας ὑπὸ;

i. e. num tu putas filium tuum ab inferis adscensurum esse, ὑπὲρ, legentis. Quid vero iam inde ab Homero in talibus usitatius quam ὑπὸ? Cf. Iliad. Lib. XXI, 56:

ἦ μάλα δὴ Τρῶες μεγαλήτορες οὕσπερ ἔπεφνον
αὖτις ἀναστήσονται ὑπὸ ζόφου ἠερόεντος.

διὰ (δι') saepenumero aut male pedem intulit aut excidit tam ante quam post α et δ. Quod nemo mirabitur qui meminerit hasce literas inexercitatis oculis αι et δι similes videri. In Longi Pastoralibus pag. 153 Courrierus perperam edidit ἐπιθέσθαι διέγνω τῷ Δάφνιδι. Recte viri docti praepositionem delerunt. Eadem de causa saepius confuderunt ἁρπάζειν et διαρπάζειν, ἀπειλεῖσθαι (quod *per se* vitiosum est nam Graeci ἀπειλεῖν dicebant) et διαπειλεῖσθαι etc.

In quorumdam Codicum scriptura δι' (aeque ac δὴ et δρ de quibus videndus est Bastius ad Greg. p. 711, Tab. VII, 14) vix distinguitur ab ἐξ. Non perspectam habebant veteres critici mendorum, quae inde fluxerunt, originem, itaque apud Casaubonum, Bentleium, Porsonum, Dobraeum vix invenias idonea emendationum exempla. Quod illi reliquerunt perfecit Cobetus, qui ex hoc

Digitized by Google

uno fonte quam plurimas (in Luciano potissimum) duxit correctiones evidentes. Unam hic apponam, reliquas vide apud ipsum. In oratione Lysiae κατὰ Διογείτονος § 14 legitur: ἐν γὰρ τῇ διοικίσει, ὅτ' ἐκ Κολλυτοῦ διῳκίζετο εἰς τὴν Φχίδρου οἰκίαν. Cobetus in sua editione ἐξοικίσει et ἐξῳκίζετο, restituit. Nam aliud est διοικίζειν, aliud, quod hic procul dubio requiritur, ἐξοικίζεσθαι, *migrare*.

De εἰς et ἐκ vide Cap. III. Vitium est ex scriptura unciali.

Omnium facillime commutantur εἰς et ὡς quorum discrimen interdum perexiguum est. Nota tamen ὡς nonnisi de personis usurpari.

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

Reliquum est ut agamus de insignioribus nonnullis tum singularum syllabarum tum integrarum vocum compendiis. De insignioribus, inquam, nam totam hanc inexhaustam materiam post intentissimas Bastii curas retractare non iuvenis est sed eius qui ipse multos Codices suis oculis usurpaverit assiduaque lectione cum totius Graecitatis scriptoribus intimam contraxerit notitiam et familiaritatem. Accedit quod plurimae observationes luculenter exhiberi nequeunt nisi variis additis figuris. Quae cum ita sint, quam vellem aliquando mihi daretur ex optimis libris MSS., qui in Europae Bibliothecis asservantur, ea omnia comportare quae ad Graecam palaeographiam rite perficiendam requiruntur. Quod, licet merito habeatur res quantivis molis et negotii, quid non bono animo suscipiendum, quid non fortiter audendum, ubi re experti novimus iuniores, adesse qui pericula iuvenilia pro summa sua benivolentia et doctrinae copia salu-

Digitized by Google

berrimis consiliis sustentare et possunt et volunt? — Sed, ne longus abeam, videamus quaedam de compendiis. Et quidem primo loco de compendiis *terminationum*, deinde de notis quibusdam quae valent *integras particulas*, tum de *signis grammaticorum*, denique de abbreviandi licentia in *nominibus propriis*.

Antiquissimum est compendium N *finalis* expressum per lineolam literae paenultimae suprascriptam. Eodem modo interdum significatur α tam in mediis quam in extremis vocabulis. (Quae litera in recentioribus libris compendium habet ι) Variae inde harum literarum omissiones et confusiones. Cumque nomina propria quoque a librariis indicari soleant linea superimposita, in haec potissimum α et ν perperam irrepserunt.

Quod antea in Euripidis *Alcestidis* v. 117 edebatur:

ΗΡ. τόλμα προτεῖναι χεῖρα καὶ θιγεῖν ξένης.
ΑΛ. καὶ δὴ προτείνω Γοργόν' ὡς καρατόμῳ.

omni sensu vacat. Salutem loco depravato dextre attulit vir quidam doctus, familiaris Badhami, ex καρατομῶ eruens καρατομῶν. Probabile est tenuissimam compendii lineolam cum accentu circumflexo coaluisse.

Narrat Valckenaerius in Schedis viris doctis alicubi suaviter imposuisse ϵ̄ΠΙΤΩ. Exsculpebant illi ἐπὶ τῷ sed verum erat ἐν πίθῳ.

Idem observat. Eurip. *Phoen.* v. 584 pro Ἄδραστε libros complures exhibere Ἄνδραστε. Sic Κράνθις appellatur cui nomen erat Κρᾶθις et Ἀγαθαρχίδας dux Corinthius male abiit in Ἀγανθαρχίδας. Vide praeterea varias lectiones, quas comportavit Bekkerus ad

Digitized by Google

Demosth. Orat. κατὰ Νεαίρας § 36. πολυτελὴς ἦν, οἱ Μεγαρῆς δ' ἀνελεύθεροι καὶ μικρολόγοι. Optimi codices alii: μὲν γὰρ δ' ἀνελεύθεροι (in margine posito μεγαρεῖς), alii μὲν γὰρ ἦσαν ἐλεύθεροι, alii denique μὲν γὰρ μεγαρεῖς ἀνελεύθεροι. Iam animadvertat aliquis quantillus error quantas turbas dederit.

Strictim nunc attingam reliquas terminationum notas quarum nonnullae a recentioribus etiam in mediis vocibus usurpantur.

αι est uncinus antecedenti literae additus (ʃ) in hunc fere modum: ϡ = καὶ, γίνε⁊ = γί(γ)νεται.

αις = ,, e. c. στήλ'' = στήλαις. Facillime haec terminatio pronuntiationis vitio exaratur; , vel ; quae notae valent ες.

αν = ⌣ vel ⌣ e. c. λεί⌣ = λείαν.

ας = ⌣ e. c. λεί⌣ = λείας.

Recte Bastius „perpetua syllabarum αν et ας commutatio non tam oritur ex similitudine compendiorum quam ex scribarum et lectorum ignorantia quorum in animis ambarum notarum clarae notiones non informatae essent."

αρ = ⌣ e. c. κ⌣τερεῖ = καρτερεῖ. Idem compendium forma paullulum immutata cum γ connexum significat γάρ.

ει = ɖ, ευ = ⌒, (in vetustioribus libris ⌒) ου = ⌣ vel ⌣, saepe ridicule permiscentur. In Eurip. *Med.* v. 512 οὐ φεύξομαί γε γαῖαν ἐκβεβλημένη ex libris afferunt pro εἰ. In Schol. ad Odyss. Ξ v. 162 editur: πῶς γὰρ ᾔδει εἰ καὶ ἐκ Δωδώνης ὑποστρέφων οὐ πλοΐσει ubi verum esse ostendimus: εὐπλοήσει. In Plutarchi *Reg. et Imperat. Apophth.* Αἰγυπτίων βασιλέων ἔθος miror edi-

Digitized by Google

toribus imponere potuisse codicum lectionem: Ὅτι, κἂν βασιλεύς τι προστάξῃ κρῖναι τῶν μὴ δικαίων, οὐ κρινοῦσιν. Ubi prorsus necessarium esse ὅτι εὖ κρινοῦσι vel coecus videat.

ειν = // e. c. φαίν // = φαίνειν, εἰπ ⊓ = εἰπεῖν.

ην = ⌃ e. c. τ ⌃ = τήν.

ιν = ⌅ e. c. στάσ ⌅ = στάσιν.

Non tam compendiorum similitudine quam vitiosa sequiorum pronuntiatione ειν, ην, ιν facile commutantur.

εις = 55 e. c. τύπτ 55 = τύπτεις.

ης = ς e. c. μεγαρ ς = μεγαρῆς.

ις = ϛ e. c. διήγησ ϛ = διήγησις.

Haec quoque soni affinitate permiscentur. In substantivis in εὺς exeuntibus forma nominativi pluralis apud veteres Atticos est ῆς; libri fere omnes conspirant in εῖς more sequiorum.

εν = ∟ vel < e. c. δῆθ < = δῆθεν. Haud raro occurrit confusio cum ας = ◡ (Cf. Obss. Bastii ad Gregor. pag. 143).

ος = ο *suprascriptum* (quo eodem compendio librarii nonnulli utuntur pro ον) vel ϵ e. c. αὐτ ὸ = αὐτὸς, ὅρκ ϵ = ὅρκος.

ον = \ e. c. δέ \ = δέον. Saepe accentus *gravis* compendio simillimus ultimam syllabam ον absorpsit ut v. c. δὲ legerint pro δέον. Contrario errore μὲν interdum habuerunt pro μόνον. Apud Athen. Lib. II, pag. 67 f. Casaubonus pro ὀξὺ γὰρ evidenter restituit ὀξύγαρον. — De μόνον et μὲν operae pretium est conferre Aeschin. in Timarch. § 36 et 77.

οις = ∫ e. c. τ ∫ ἐχθρ ∫ = τοῖς ἐχθροῖς.

Digitized by Google

ους = ʒ, quod compendium non tantum suprascribitur sed saepe etiam ascribitur e. c. ὄρ ʒ = ὄρους.

ουν = ϱ, compendium simillimum literae ρ ideoque saepe pro ρ habitum e. c. ἤγ ϱ = ἤγουν.

ων = ∧ vel ⌒ et cum accentu: ⌒ e. c. ἀνθρώπ⌒ = ἀνθρώπων, παρ⌒ = παρών.

ως = ⌣ vel si in lineam immittitur ϛ e. c. βασιλέ⌣ = βασιλέως, ῞ ϛτε = ὥστε.

Valde salubre et frugiferum est haec omnia et alia nonnulla, quae typis repraesentari non possunt [1]), ex ipsis libris diligenter observasse, singularumque notarum certas imagines animo firmiter infixas tenere. Sed is demum clare discernet, qui probe cognita habet Graecitatis naturam et usum. Rudis enim et imperitus homo in compendiosa scriptura vel exercitatissimis oculis caecutiet; Graece doctus, licet in aliquo libro compendia omnino evanuissent, lacunas tamen, ut in lingua vernacula, haud difficulter de suo suppleret.

Transeo ad usitatiores particulas.

Saepissime confunduntur ἢ, καὶ, ὡς. Quod sponte sequitur ex iis quae diximus de compendiis αι et ως. Sic Schol. in Od. Ξ v. 230 solemni errore editur: καὶ Θουκυδίδης φησὶ; tu lege ὡς Θ. φ.

In Athen. Lib. XIII, p. 592 f. iam supra monuimus de dittographia (Vide Cap. I) ab editoribus non animadversa.

---

[1]) E. c. compendia vocum exeuntium in -τητος, -τητι, -τητα etc. (τατος) -τικὸς, -τήριον, alia.

Digitized by Google

Δὲ scribi solet ⁝· vel ; . Inde confunditur cum nota quae valet ἐστὶ (⁝·) et cum interrogationis signo ; .

In *prima* epistola Aristaeneti ante Dorvillium edebatur: Ἐνδεδυμένη μὲν εὐπροσωποτάτη δὲ, ἐκδῦσα δὲ ὅλη πρόσωπον φαίνεται. Recte ille: εὐπρσωποτάτη ἐστίν.

Liban. Vol. IV, p. 811 Reiskius festinanter edidit, ut solet: διὰ ταύτην οὖν, φησὶ, νόμον εὖ ἔχοντα λύσομεν δὲ καὶ μάλα δικαίως. Acute Bastius: λύσομεν; καὶ μάλα δικαίως.

Ἐστὶ = ⁘ vel ⁘ , εἰσὶ = ⁘.

Τε = ÷. Confunditur cum τὶ quod significatur litera τ suprascripta cum duobus punctis. Utraque lectio circumfertur in Plat. *Euthydemo* pag. 290, E: σμικρῷ τε ὑποδεεστέρα et σμικρῷ τι.

De compendia γὰρ monuimus in αρ.

ἄρα et ἆρα, quae ubique solo iudicio distinguenda sunt, depinguntur in hunc modum: ⋐. Idem est signum tachygraphicum quod comparet in praepositione παρὰ (vide Cap. VI). Saepe non intellectum negligitur.

ὁμοῦ = ⁘ vel omissa lineola obliqua: ⁘. Frequenter excidit.

ὅτι saepe exaratum est ὁ^τ. Quoniam prorsus eodem modo scribitur τὸ, sexcenties hae particulae invicem permutantur.

Proprium sibi compendium praeterea habet ὅτι nempe ⁘. Quae nota, si hamulus deest, non potest distingui a compendio ἐστί.

Peculiaribus quibusdam abbreviationibus utuntur grammatici et scholiastae, quae frequentissime occurrunt in notis marginalibus. Notissima fere sunt haecce:

Digitized by Google

ἤγουν ηγ, ιγ, δηλονότι δηλ, σημειοῦ, σημείωσαι, σημειωτέον σ, γράφεται, γραπτέον γ, γί(γ)νεται γ, τινὲς τ (γίγνεται et τινὲς crebro permutantur cf. Piers. ad Moer. p. 343) φασὶ φ vel φ. ῥητέον ῥ ἀπορία ἀπ, λύσις λ, παροιμία παρ, γνώμη, γνωμικὸν γν vel γ ν.

Praetereo vulgo apud grammaticos una tantum vel duabus literis indicantur *casuum* nomina ut $\Gamma^{\varepsilon} = \gamma\varepsilon\nu\iota\kappa\dot{\eta}$ quod compendium ipse exercitationis causa codices Leidenses legens, nonnumquam perperam habui pro γε. Neque ego solus ita erravi sed plane eodem modo saepiuscule lapsi sunt editores Schol. in Homeri Il. et Od.

Idem valet de verborum *temporibus*: π e. c. $= \pi\alpha\theta\eta\tau\iota\kappa\dot{o}\varsigma$, $\dot{\alpha}^{o}$ vel $'\text{ω} = \dot{\alpha}\acute{o}\rho\iota\sigma\tau o\varsigma$, et universe de omnibus vocabulis quae pertinent ad grammaticam scientiam.

α^{τ} e. c. vel $\alpha^{\tau\tau} = \dot{\alpha}\tau\tau\iota\kappa\dot{o}\varsigma$, $\dot{\alpha}\tau\tau\iota\kappa\tilde{\omega}\varsigma$.

περ = περισπώμενον,

αὐθυπ = αὐθυποτακτὸν etc. Longum est omnia, quae huc faciunt ordine recensere neque valde necessarium, utpote in quibus verborum contextus attentum lectorem sponte ducat ad verum.

Hoc unum cavendum ne, si idem compendium bis deinceps exaratum videas, idcirco cogites de dittographia. Ita enim scribae significare solent *pluralem numerum*.

$\pi^{\varepsilon}\,\pi^{\varepsilon}$ e. c. valet περισπώμενα,

$\kappa^{\varepsilon}\,\kappa^{\varepsilon}$ κεφάλαια

$\beta^{\iota}\,\beta^{\iota}$ (ββ) βιβλία. etc.

Iam admodum pauca addam de *nominibus propriis* et sic (quod multa me admonent ut faciam) libello meo ἐπιθήσω τὴν κορωνίδα.

Digitized by Google

Nomina principum in quocunque genere virorum, poetarum, philosophorum, grammaticorum, prioribus tantum literis indicantur. Inde fit ut pro ὁ Δημοσθένης subinde scripserint ὁ δῆμος, pro Ξενοφῶν ξένος pro ὁ Σοφοκλῆς, ὁ σοφός. Contrario errore qui in aliqua arte principatum tenet (ἄριστος) a librariis appellatur Ἀριστοτέλης. De Apollonio diximus Capite V. Eodem compendio quod significat ἥλιος, Ἀπόλλων, Ἀπολλώνιος, utuntur pro Ἡλιόδωρος, Ἡλιόπολις etc. Caeterum ridiculi errores omne genus quibus haec abbreviandi licentia ansam dedit, cum saepissime error errorem trahat pristinaeque scripturae nec vola nec vestigium relinquatur, ex certis quibusdam regulis palaeographicis indagari neutiquam possunt: multo magis emendandi sunt ex accurata scriptorum, temporum, rerum quae tractantur, notitia. Quae artis criticae non tantum (ut palaeographia) tutissimum est praesidium et adiumentum sed principium et fons.

Quicumque igitur in veterum librorum emendatione cum fructu versari volet is ante omnia diu et multum apud animum suum deliberet: Ἆρά γε γιγνώσκεις ἃ ἀναγιγνώσκεις;

Digitized by Google

INDEX PALAEOGRAPHICUS.

A. MALE DISTINGUUNTUR VOCABULA.

Exempla: 15 seqq. 30 seq. etc.

B. BIS DESCRIBUNTUR QUAE SEMEL, SEMEL QUAE BIS SCRIPTA ERANT.

Exempla: 20 seqq. etc.

C. ORIUNTUR ERRORES PERMULTI EX VITIOSA SEQUIORUM PRONUNTIATIONE.

Exempla: 18, 25 seqq. 51, 63 etc.

D. CONFUNDUNTUR LITERAE UNCIALES DUCTU NON VALDE DISSIMILES.

A, Δ, Λ, 37—40.
ΑΛ, ΛΑ, ΛΛ, M, 40 seq.
Γ et Digamma Aeolicum, 41 seq.
Γ, I, T, Π, TI. IT, P, Τ, 42—47.
E, (Є) Θ, O, Σ, (C), 47—51.
Z, T, Ξ, 51 seq.
H, K, N, Π, TI, IT, 52—56.
K, IΣ, (IC), Σ, 56 seq.
Φ, (+) T, X, Ψ, 57 seq.
Φ, Τ, 58.

Digitized by Google

E. FACILLIME IMPERITI LECTORES LABUNTUR IN SCRIPTURA MINUSCULA.

Imprimis permutantur:

α, αι, αυ, 60 seq.
α, ω, 61.
α, ει, ευ, 61 seq.
β, θ, 62.
β, υ, (μ, η, κ, α, ω), 63.
γ, ν, ibidem.
γ, ρ, ρι, ibidem.
δ, δι, 63 seq.
δ, ο, 64.
η, κ, ibidem.
ι saepe negligitur, 64 seq.
λ saepe simplex occurrit pro duplici, vice versa, 38.
λ, χ, 65.
ξ. ζ, ibidem.
ξ, τρ, τι, 65 seq.
ρ saepe simplex occurrit pro duplici, vice versa, 38.
ρ, ο, 66.
τρ, ρ, ibidem.
φ, τρ, ibidem.
σ haud raro negligitur, 67.
φ, ψ, ibidem.
φ, φρ, φθ, 67 seq.

F. VARIOS ERRORES PARIUNT ANTIQUISSIMAE QUAEDAM ABBREVIATIONES IN OMNIBUS LIBRIS MANUSCRIPTIS FREQUENTES.

In universum, 69 seq.
θεὸς, 70 seq.
ἄνθρωπος, 71 seqq.
κύριος, 73.
υἱὸς, 73 seq.
πατὴρ, μήτηρ, 74.
οὐρανὸς, 74 seqq.
χρόνος, χριστὸς, χρυσὸς, χρυσόστομος, 76.
Απόλλων, ἥλιος, χρυσὸς, 77.

Digitized by Google

G. SAEPISSIME COMMUTANTUR NOTAE PRAEPOSITIONUM.

Imprimis:

ἀνὰ, σὺν, 78.
ἀνὰ, ἀπὸ, 79.
ἀνὰ, ἀντὶ, 79 seq.
ἀπὸ, ἐπὶ, ὑπὸ, 80.
ἀπὸ, ζ, ibidem.
ἀπὸ, κατὰ, ἐκ, 80 seq.
ἀπὸ, παρὰ, 81.
ἐπὶ, περὶ, ibidem.
κατὰ, μετὰ, 81 seq.
πρὸ, πρὸς, 82.
πρὸς, ἀπὸ, ὡς, εἰς, κατὰ, 82 seqq.
παρὰ, περὶ, 84 seq.
παρὰ, περὶ, πρὸ, πρὸς, 85.
ὑπὸ, ὑπὲρ, 86.
διὰ, male additum aut omissum, 86.
διὰ, ἐξ, 86 seq.
εἰς, ἐκ, 87.

H. PERPERAM LEGUNTUR AUT OMITTUNTUR COMPENDIA.

Compendia terminationum, 89—92.
Compendia particularum, 92 seq.
Signa grammaticorum, 94.
Abbreviandi licentia in nominibus propriis, 94 seq.

Digitized by Google

INDEX SCRIPTORUM

QUORUM LOCI TRACTANTUR.

Aeschines, 91.
Aeschylus, 18, 38, 44, 45, 56, 72, 75, 76.
Alexander Aetolus, 15.
Alciphron, 82 seqq.
Anaxandrides, 16.
Anaxilaus, 19.
Anecdota, (*Bekkeri* 44, 77.
Apollonius Dyscolus, 63, 64, 73.
Apollonius ὁ περὶ ἑορτῶν γεγραφώς, 77.
Aristaenetus, 93.
Aristophanes, 28, 34, 46, 52, 53, 54, 62, 63, 85.
Athenaeus, 15, 16, 19, 22, 23, 40, 41, 47, 48, 49, 54, 55, 56, 58, 71, 72, 73, 91, 92.
Bion, 51.
Callimachus, 27, 28.
Chariton, 26.
Clemens Alexandrinus, 51.
Demosthenes, 37, 81, 85, 90.
Dicaearchus, 58.
Dinarchus, 49.
Dio Cassius, 38.
Dio Chrysostomus, 43.
Diodorus, 88.
Dionysius Halicarnassensis, 50, 57.
Etymologicum Magnum, 47.
Euripides, 39, 45, 46, 48, 55, 57, 74, 85, 86, 89, 90.
Eustathius, 77.
Foedus Novum, 21, 54, 70.
Harpocration, 66.
Hegesippus, 47.
Hermias, 54.
Herodotus, 23, 24, 29, 34, 62, 74, 79.
Hesychius, 41, 46, 47, 48, 52, 61, 63, 64, 67, 74, 79.
Hyperides, 54, 64.

Digitized by Google

Homerus, 33, 42, 61.
Isocrates, 51, 57, 66.
Joännes Malalas, 17.
Libanius, 15, 60, 93.
Longus, 86.
Lucianus, 48, 56, 62, 73, 79.
Lucretius, 23.
Lycurgus, 67.
Lysias, 22, 87.
Maccabaeorum libri, 65.
Menander, 44, 71.
Pausanias, 45.
Philemon, 42.
Philyllius, 55.
Photius, 40, 77.
Plato, 29, 53, 55, 60, 76, 85, 93.
Plutarchus, 14, 40, 44, 48, 79, 90.
Polybius, 22.
Scholia in Odysseam, 18, 22, 22, 30, 31, 34, 38, 43, 65, 67, 80, 81, 82, 84, 85, 90, 92.
Scholia Veneta in Iliadem, 62, 64.
Sophocles, 40, 42.
Stobaeus, 57, 70.
Strabo, 61.
Suidas, 60.
Theophrastus, 40, 41.
Thucydides, 19, 28, 29, 30, 31, 34, 49, 50, 64.
Titus Livius, 20.
Xenophon, 47, 57, 66, 72, 80, 81, 85.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google